



1668

The image shows the front cover of a book. The cover is decorated with a traditional marbled paper pattern, often referred to as a 'stone' or 'shell' pattern, featuring irregular, organic shapes in various shades of brown, tan, and cream. A small, rectangular white paper label is affixed to the upper left corner of the cover, displaying the number '1668' in a bold, black, serif font. The spine of the book, visible on the left edge, is bound in a dark, textured material, likely black leather or cloth.



EX-LIBRIS

Dr. med. &
George Meyer.





13471

Smann. Med. Lat. Syst. Tom-1.
Cap. 1. §. 13.

Postquam Graafius partes genera-
tioni utriusq; sexus inservientes
accuratius perstravit; ab hoc tem-
pore ii morbi, qui sedem suam ac
comitium ibi habent, sensui et in-
tellectui jam facillime patent.


angeb.

Ferneli, Joh.: Pathologiae. Liber 4.
De febris.

P. De Грааф.

Дослідження живих
дитородних органів. Про
використання клістера та
трубки (сифона) в анатомії.
Хаккіана, 1668

64218



R:
 De GRAAF *Med. Doct:*
 de
 Virorum organis Gene
 rationi *inſervientibus,*
 de Clyſteribus et
 de uſu Siphonis
 in Anatomia.

LUGD BATAV. et ROTEROD. Ex Officina HACKIANA 1668.

J. Hackiana

Post
tion
acc
por
com
telle
an
Fe



ИМПЕРАТОРСКАЯ
РОССИЙСКАЯ ПОЧТА
ПЕКИН
1895

07210

P.
D
dir
vii
m

нак. 1895



Illustrissimo Viro

D.D. HENRICO LUDOVICO

HABERT DE
MONTMOR,

COMITI DU MESNIL-HABERT, DE
HAUTE VILLE, DU FARGIS, &c.

SUPREMI CONSILII REGII ASSES-
SORI, ET PRIMO LIBELLORUM
SUPPLICUM IN REGIA MAGI-
STRO.

Quandoquidem, VIR
ILLUSTRIS-
SIME, non
infrequenter Regum,
aliorumque Magnatum insignia
ædibus præfiguntur, ut eas tam-

Республиканская
научная библиотека
библиотека МЗ УССР

quædam

DEDICATIO.

quam tutelares Dii ab omni petulantium contemptu & injuria vindicent; ita & ego augustum Tuæ magnificentiae nomen in atrio operis mei erigere statui, ut diversa loca, absque quod contumeliose à quoquam afficiatur, pertransire possit: quod quin facile & absque difficultate continget, non est quod dubitem; quia nullum Regnum est, ad quod Illustrissimi nominis Tui fama non pervolavit; nec mirum, nam in Te raræ virtutis & solidæ doctrinæ tam grata conspirat harmonia, ut communi eruditorum calculo, & famæ publicæ testimonio apex eruditionis merito audiaris: nam, ut fileam singularem Tuam virtutem

DEDICATIO.

tem ac prudentiam, quam in amplissimo munere, quod sub Christianissimo LUDOVICO XIV. Galliarum & Navarræ Rege in Gallia subis, de doctrina Tua solummodo dicam, Te non solum Philosophiam, Jurisprudentiam, Politicam, &c. ad unguem tenere, verum etiam, si absque nominis Tui læsione dicere audeam, Medicinæ non vulgarem Tibi scientiam comparasti. Neque quidquam habes antiquius, quam ut viros literarum, bonarumque artium studiosos benigne semper amplectaris, cujus rei haud vulgare documentum mihi Lutetiæ Parisiorum dedisti; nam, quamprimum ad manus Tuas

DEDICATIO.

pervenisset Tractatus meus de Succo Pancreatico Gallico idiomate impressus, atque intellexisses me apud D. Bourdelotum, CHRISTINÆ Reginae Sueciæ Archiatrum dignissimum, cujus domus singulis diebus lunæ Academiæ Naturæ Curiosorum refert, eum semper coram accuratissimis Naturæ indagatoribus publice ventilandum proponere, me non solum aliquoties invitasti, atque in mensa Tua splendidissime excepisti, verum etiam quam sæpissime quaquaversum in rheda Tua me Tecum duxisti, ubi præter varias delectationes, quas mihi tua præsentia adferebat, incredibili gaudio afficiebar, doctissimis atque subtilissimis

DEDICATIO.

mis Tuis ratiocinationibus, de-
sumptis ab experimentis, quæ
indies per Tuos institui curas.
Nunquam sane memoria mea
excidet singulare benevolentia
Tuæ erga me argumentum, dum
in ædibus D. Denis, ubi tantus
erat Curiosorum confluxus, ut
ne unus quidem amplius dispu-
tationis locum intrare absque
difficultate posset: Tu intelli-
gens me in atrio ejus loci existe-
re, statim authoritate Tua (ces-
sante ad tempus disputatione)
mihi aditum præparasti, atque
ad dextram Tuam, qui totius
congregationis locus erat ho-
noratissimus, me immerentem
collocasti.

Cum itaque his & similibus

*

4

bene-

DEDICATIO.

beneficiis me Tibi mirum in modum devinxeris, non video quomodo ingrati animi culpam effugere possim, nisi pro publico honore, quo me semper excepisti, publicâ gratiarum actione respondeam, dedicando ac consecrando Tibi omnia, quæ, longo seculorum & Naturæ silentio hætenus oblitterata, indefatigabili studio in corpore humano circa Partes Genitales detexi.

Non me latet Tibi indies consecrari opera tam magnifica, ut merito timere possem, ne hic meus Tractatulus, tamquam levidense munusculum, à Te despiceretur, nisi ex literis Tuis nuperrime ad me datis Tuam
erga

DEDICATIO,

erga me benevolentiam, qua me Parisiis excepisti, adhuc vigere intellexissem, mihi que persuasissem, Te non ex mole, sed rerum pondere opera metiri.

Tanti enim interest omnium hominum, ut ea, quæ in hoc libello proposui, divulgentur, quanto sanitas, in cujus gratiam inaudita exhibet, ceteris humanæ vitæ bonis præcellit.

Ne itaque curiosissimus atque utilissimus hic meus libellus irrisionibus excipiatur, calumniis impetatur, aut ut falsus laceretur, eum sub nobilissimo & amplissimo nominis tui celeberrimi præsidio & tutela in lucem prodire optavi, sperans fore ut ex perennibus benevolentia

*

§

tuæ

DEDICATIO.

tuæ fluminibus rivulum aliquem ad eum sis derivaturus, quo abunde rigatus, fonsque eximii favoris tui radiis, robur indies, incrementumque capere possit.

Vale Vir Illustrissime, & quome hætenus favore dignatus es, eodem impofterum prosequere. Deus Optimus Maximus quam diutissime in splendorem reipublicæ literariæ Te, Tuosque pro meritis vestris conservet, quod animitus optat ac precatur

Dabam Del-
phis 12. Maji
1668.

Illustrissimi Tui Nominis

Cultor Devotissimus

REGNERUS DE GRAAF.


REG-

REGNERI DE GRAAF
MEDICINÆ DOCTORIS,
EPISTOLA,

Ad Virum Clarissimum
FRANCISCUM DE LE BOE SYLVIVM,
*Medicinæ Practicæ in Acad. Lugduno-
Batava Professore,*

DE

Nonnullis circa Partes Genitales
Inventis Novis.

UM ante duos circiter an-
nos, Vir Clarissime, Fautor
& Amice æternum honoran-
de, diversas Gallia provin-
cias perlustrarem, & variis in locis ca-
davera mihi suppeditarentur quam
plurima, eorum dissectionibus mirum
in modum delectabar, præsertim dum
cultellum Pancreati aut Partibus Ge-
nitalibus infigerem; quia circa illas par-
tes indies plura observabam, quæ ab
Auctoribus Anatomicis tradita nun-
quam fuerant; quorum demonstrationi-
bus ita doctissimis atque curiosissimis
totius

REGNERI DE GRAAF

totius Galliae Viris placui, ut me ab illo tempore peculiari quodam amore persecuti fuerint, uti ex eorum literis occasione datâ conspicias, quibus me adhuc indies excitant, ne curiositas mea (ut ajunt) in uno Pancreate, tanquam Scyllâ, naufragium fecisse videatur, ut ea, quæ de partibus genitalibus curiosiora illis præsentibus quondam observavi, simul congeram & edam: sed flagrantibus eorum desideriis ad hoc usque tempus impedimentis practicis detentus satisfacere non potui: ne tamen ipsis in totum deesse viderer, quamprimum hyemale frigus ægrotorum numerum aliquantulum minuit, subinde colligendis iis, quæ quondam observaveram, horulam impendi, idque tanto successu, ut antequam animadverterem, integrum Tractatum conscripserim; quem amicis meis per literas communicare quoniam nimis arduum foret, illum ideò publici juris facere decrevi, si Tuo judicio impressione dignus judicatus fuerit; tanti enim Te facio, Vir
 optimè

EPISTOLA.

optimè de me merite, ut vix aliquid in re Anatomicâ promere velim, quod prius sagacissimo Tuo iudicio non sit comprobatum. Ut verò postmodum faciliùs iudicium tuum de superius memorato libello aperire valeas, primaria ejus capita hic paucis ad te perscribam.

Primo ostendo claudicare eorum sententiam, qui plurimis in locis Arterias semen præparantes cum venis per visibiles Anastomoses conjungi statuunt: cadere quoque eorum sententiam, qui corpora Testiculorum (uti plerique faciunt Anatomici) glandulosa existimant, atque inter glandulas ipsa recensent, cum ex earum numero non minus meo iudicio ejiciendâ sint, quam Epididymides, quarum corpora jucundissimo spectaculo quam sæpius ita dissolvi, ut adstantes eorum in Testiculos ingressum luce meridianâ clarius conspicerent: quod uti mirum videbitur multis, sic incredibile apparebit iis, qui nunquam dissectionibus meis interfuerunt, me totam Testiculorum substantiam

REGNERI DE GRAAF

tiam in ingentem longitudinem dissolvere posse, quod Tibi Vir Clarissime prima occasione data ostendam, quemadmodum feci ante duos annos in Gallia Viris curiosissimis non paucis, &, dum primo Delphos praxin exercendi gratia venissem, Medicis ejus Civitatis ordinariis & Anatomie Præfectis, aliisque Medicis ac Chirurgis curiosis, qui omnes hanc disseccandi methodum admirabantur ac summis laudibus extollebant; quæ, uti in tractatu videbis, exiguâ præparatione præviâ eleganter institui potest.

Nec solum hanc Testicularum substantiam hæctenus incognitam in libello meo detexi, verum etiam Vesicularum Seminalium cum Vasis Deferentibus communionem, magnitudinem, figuram, earumque in urethram exitum brevi ac eleganti methodo ostendi, quibus adjunxi facillimum Corporum Prostatarum examinandi modum. Quibus perspectis concludo tandem unam esse solummodo materiam seminis, eamque in Testibus
gene-

EPISTOLA.

generari, in Vesiculis excipi, & inde porro in Urethram, cum necesse sit, evomi; non per unum foramen, ut Veslingius in Syntagmate suo Anatomico depinxit, sed per duo distincta foramina, quorum unum cum altero nullam communicationem habet.

Præterea Penis faciliorem & accuratorem dissecandi modum propono, quam unquam ab aliis Anatomicis factum novi, cujus Musculus longe alium etiam usum adscribo, quam reliqui hujus seculi Anatomici fecerunt. Hunc libellum elegantissimis figuris, quantum possibile fuit, dilucidatum, judicium tuum de eo expectaturus, quando Te ejus lectioni vacare posse cognovero, statim ad Te mittam. Et dum coram me tecum loqui occasio dabitur, etiam à Te petam, num publico communicandum sentias Novum instrumentum à me excogitatum, quo unusquisque sibi metipso quam facillime clysterem injicere potest, vel ut ab alio injiciatur permittere, absque ulla partium denudatione vel sitûs mutatione.

REGNERI DE GRAAF

tionem. Non refert namque quocumque modo in lecto decumbant aegri. Et ab eo tempore, à quo hoc instrumentum in praxi utilissimum à me in usum introductum fuit, nemo aegrotantium meorum ab enematum injectione abhorruit amplius, quinimo, quod magis est, fœminæ multæ, quæ antea se libentius mori, quam nates ad enematum injectionem denudare se velle clamabant, postmodum sponte, ut enemata ipsis præscriberem, à me postularunt.

Et ut tandem concludam, Te, Vir Clarissime, postquam tractatum meum legeris, pro candore ac benevolentia tuâ, quâ omnes Rempublicam juvare conantes amplecteris, obnixè rogabo, ut candidum judicium Tuum mihi, quam primum fieri poterit, de eo aperire digneris, nec dubito quin pro peculiari tua amicitia, qua me immerentem hæctenus prosecutus es, postulato meo satisfactorus sis, præsertim quando in memoriam revoco, Te ante aliquot menses, cum de hac materia tecum agerem, sponte excitaſſe

ORIGEN
EPISTOLA.

citasse me ad publicandum ea, quæ de
partibus genitalibus nova observave-
ram.

Hisce vale & ama eum, quem in pra-
xi Tuamper edi cæptâ appellare digna-
tus es

Dabam Del-
phis, 20. Fe-
bruar. 1668.

Dilectissimum tuum
Discipulum

REGNERUM DE GRAAF.

**

CLA-

CLARISSIMO VIRO
REGNERO DE GRAAF,

Delphenſi Medico, & Anatomico
præſtantiffimo,

S. P.

FRANCISCUS DE LE BOE
SYLVIUS.

QUæcunque prioribus ſæculis
ignota voluit Deus diverſis
temporibus ac ſucceſſivè in
Naturæ operibus obſervari à
quovis; eadem, tanquam vera, & pro-
inde hominibus bona & utilia optan-
dum foret itidem publici juris fieri, quò
Arte Medicâ ſic ad perfectionem majo-
rem tendente miſeris mortalibus indies
ſuccurri poſſit melius.

Hanc ob rem Te, Amice Dilectiſſime,
non ſemel ſum hortatus, ut, ſi labore
tuo ingenioſo quædam obſervares ab
aliis nondum notata, eadem in tempore
ſcripto publico impertireris omnibus,
quò aliis prodeſſes, nec Tibi deeſſes.

Aliis namque prodes, dum cunctis
aperis

*aperis liberaliter, quæ tuæ diligentia
ac solertia concessit Deus.*

*Tibi non deeris, dum debitam indu-
striæ tuæ laudem, debitamque benevo-
lentiæ tuæ gratiam sic consequeris. Cu-
jus tamen contrarium tam sæpè accidit
hoc sæculo invido & invido, quin mali-
gno & impio: plures namque occurrunt
tam socordes, quàm pigri, gloriæ ta-
men avidi; quam quoniam corporis,
animique dotibus ad id requisitis desti-
tuti per se acquirere non valent, aliis
eam per fas ac nefas præripere sata-
gunt, sibi que alienos labores injuriose
adscribere haud erubescunt; quin, quod
omnium pessimum est, non tantum de-
trahunt dignis suam gloriam, verùm
eosdem insuper, tanquam vitio suo la-
borantes, impudenter scriptis suis tra-
ducunt: quod certè durum est Viris bo-
nis, ac inventorum suorum laudabilium
& utilium communicatione de Rep. benè
merentibus.*

*Gavisus sum idcirco, quando intel-
lexi ex Epistolâ tuâ ante paucos dies ad*

me datâ Te tandem ad finem perduxisse
Opusculum tuum de iis, quæ circa Ge-
nitales Virorum Partes notaveras; at-
que paratum esse ipsum cum aliis qui-
busdam prælo committere; quod, sicuti
desiderasti à me prius legi, ita cum ani-
mi voluptate percurri; optans ut debi-
tus Tibi hoc nomine honos sartus tectus
permaneât, & ab omnibus, uti à me tri-
buatur.

Quamvis autem vix sperare audeam
Tibi jam indies praxi magis implicato
multum temporis concessum iri in poste-
rum ad plura investiganda, opto tamen
occasiones Tibi faventes nasci ad non-
nulla egregia & ad Medicinam ampliùs
perficiendam adhuc desiderata obser-
vanda & Reip. literariæ conferenda ob-
venire; quas noli negligere, nam, ut
est in proverbio,

Fronte capillatâ, post est Occasio calva.
Nosti, quàm mihi variorum laborum
multitudine presso & oppresso parum li-
ceat novis experimentis anatomicis va-
care; quapropter tum Te, tum alios
Audi-

F. DE LE BOE SYLVII EPISTOLA.

Auditores meos industrios & laboribus ferendis aptos sepe numero ad Brutorum corpora, Hominumque cadavera secanda, & accuratius examinanda excitavi, quin ad facilitandum quorumvis laborem, quâ viâ & ratione varia adhuc obscura eruenda putarem, cogitationes meas singulis ultrò obtuli, omnibusque successum in operibus suscipiendis fœlicem sum adprecatus. Tu interim Vale, atque laborum hæctenus à Te exantlatorum præmio condigno hilariter fruire. Dabam Lugduni-Batavorum Idibus Martiis c l c l c l x v i i i .

PRÆFATIO.



Vandoquidem plus artis est in cognoscendo, quam in curando morbo, & nemo de morbo sive præternaturali partium dispositione cum fundamento judicare potest, qui naturalem ignorat, quotiescumque subjectorum dissectandorum sese offerret occasio, ad necessariam singularum partium notitiam mihi comparandam, manum cultello admovi: nec absque fructu; nam quoties inter alias Partes ad incudem revocavi Genitales, ab aliis necdum reperta prodiga sui Natura semper oculis meis quædam exhibuit: quorum notitiam cum aliis quoque Medicis necessariam

PRÆFATIO.

riam judicarem, neutiquam hujus inventionis thesaurum abscondi, sed omnibus curiosis liberaliter aperui, quemadmodum non solum testari possent Viri Præstantissimi *D. Hunaud, D. de la Picrière, D. Fabre, D. Phelippeau, D. Haverloo*, aliique quamplurimi, quibus in Gallia jam ante duos annos Epididymidum, Testiculorumque substantiam detexi, verum etiam primarii hujus Civitatis Medici ac Chirurghi, coram quibus jam ante annum & diutius eandem Testiculorum, Epididymidumque substantiam in ingentem longitudinem dissolvi: ita ut de Testibus Vaganti, me jam dudum eorum genuinam substantiam

PRÆFATIO.

cognovisse, contra alios, qui sibi inventionis gloriam adscribere conabuntur, testes non defuturi sint; quod vel ideo apponere volui, quia ex nimis liberali inventorum meorum circa Partes Genitales communicatione dicam ac divulgatione, nonnulli, qui alienis inventis semper gloriari volunt, sibi hujus inventionis meæ gloriam adscribere incipiebant; quapropter cum necdum inventa mea in bonum ordinem redegissem, & præterea perpenderem multum temporis desiderari ad figurarum sculpturam, ut malevolorum illorum petulantiam compescerem, epistolam ad Clarissimum Virum *Franciscum de le Boe Sylvium* scriptam,

PRÆFATIO.

ptam, tamquam inventorum
meorum prodromum, publici
juris feci.

Ad quam *D. van Horne* in Aca-
demia Lugduno-Batava Anato-
miæ & Chirurgiæ Professor di-
gnissimus statim etiam per mo-
dum epistolæ, ne sibi met ipsi (ut
inquit) defuisse videretur, sua
circa partes Genitales inventa
(de quibus antea tam altum ser-
vaverat silentium) prælo divul-
gavit. quæ quantum à meis dif-
ferant, hic paucis enarrabo: re-
fert Ille in epistola sive prodro-
mo suo ad Celeberrimum Virum
D. Guernerum Rolfinckium scripto,
Arteriam Spermaticam, ubi Ve-
næ conjungitur, in varios circin-
nos, capreolos, pampinos vitium

** 5

imi-

P R Æ F A T I O.

imitantes contorqueri, atque corpus Pyramidale dictum constituere. Ego vero dico eandem Arteriam recto ductu, quemadmodum in figuris expressi, ad Testes properare, ac proinde neutiquam corpus Pyramidale efficere. Ipse dicit vasa Deferentia nullam habere cum Vesiculis Seminalibus communionem, sed toto cœlo ab illis differre. Ego vero sustineo inter Vesiculas illas & Vasa Deferentia tantam esse communionem, ut dum Semen à Testibus per Vasa Deferentia affluens, propter carunculam clausam, in Urethram effluere non potest, necessario in vesiculas influat, in iisque pro futuro coitu reservetur.

Ille

PRÆFATIO.

Ille præterea statuit triplicem materiam seminis, Ego vero solummodo unicam agnosco. Reliqua, in quibus cum egregio hoc Viro differo, suo tempore & loco forsan proponam, quæ non minus, quam jam enarrata, sibi mutuo ita contrariantur, ut unius veritas absque falsitate alterius consistere non possit. Quod cum ita sit, & ego Clarissimi illius Viri in dissecando dexteritatem conferrem cum mea imperitia, nihil tentare volui antequam Partium Genitalium Naturalem constitutionem meæ opinioni conformem esse demonstrassem Clarissimis atque doctissimis Medicis *D. T. Valensi, D. A. Vockestaert, D. N. Bogaert,*
-0187
D. C.

PRÆFATIO.

D. C. s' Gravesande, D. H. d' Aquet, D. J. Isbrans, D. D. Vander Star, &c. nec non Chirurgis sequentibus, *D. Brest, D. de la Marche, D. Annema, D. van Atrechem, &c.* qui omnes rei veritate perspecta illicò sententiæ meæ calculum suum apposuere.

Cum itaque probabile mihi non videretur omnes Egregios illos viros mecum in re tam perspicua errare, ea quæ Clarissimorum virorum suasu in chartam conjeceram, prælo submissi, sperans fore, ut à Celeberrimo *D. van Horne*, aliisque, error, errorisque mei causa (si quis sit) ita assignetur, ut posteritas ab illis discat, non rixis aut calumniis veritatem inquirendam esse, sed

ratio-

PRÆFATIO.

rationibus ac demonstrationibus, quibus oblato solum subiecto humano, publice vel privatim, in quantum id mihi occupationes practicæ permittent, me omni tempore cuique partum ostendam; nam ejus Naturæ sunt, quæ in hoc libro proposui, ut multa sensibus deferant, pauca ratiocinio, imo vix huic tribuant quidquam, nisi sensuum fuerit stabilitum suffragio.

Dividitur hic liber in tres Tractatus. Primus ordinem Naturæ secutus non solum meam de Partibus Genitalibus opinionem refert, sed omnium præstantissimorum Anatomicorum de iis sententiam citat ac refutat; ita ut omnia, quæ hætenus, in
quan-

PRÆFATIO.

quantum novimus, de Partibus Genitalibus virorum dicta sunt, & impofterum dici debent, paucis comprehendat. in quem finem liberaliter mihi Bibliothecam suam aperuerunt Cl. D. *Vockestaert* & D. s^r *Gravesande*, viri optime de me meriti, & eorum, quæ in hoc Tractatu proposui, mihi testes assidui.

Secundus Tractatus quædam circa Clysteres curiosa recenset, ac instrumentum à me excogitatum proponit, quo unusquisque sibi met ipsi Clysterem injicere potest, vel permittere, ut ab aliis injiciatur absque ulla partium denudatione, vel situs mutatione.

Tertius Tractatus exhibet Syringam

PRÆFATIO.

ringam five Siphonem à me ad operationes Anatomicas peragendas inventum, atque ostendit ejus beneficio plurima unius horæ spatio demonstrari posse, quæ antea unius vel duorum dierum laborem desiderabant.

Quæ omnia figuris à memet ipso depictis, quantum possibile est, clare ac pudice illustrantur. Si tamen aliquis tam petulanti splene sit, ut ea, quæ de Partibus Genitalibus in scenam introduxi, ad impudicas cogitationes & scurrilia verba trahere tentet, ille nequitia suæ pœnas luat, ego autem, licet non ignorarem mundis omnia munda esse, equidem mea inventa tam honesto & modesto stylo proposui, ut
nemo

PRÆFATIO.

nemo nisi volens iis vel minimum lædatur.

Quod cum ita sit, & Deus Optimus Maximus amœnissimos prati flores non denegaverit apibus, ut ex iis mel colligant, licet ex iisdem nonnulla animalia venenum exfugere possint, ita & ego egregios inventionis meę flosculos bonis denegare non volui propter sceleratos quosdam & impios homines, qui nonnunquam sacras literas ipsas ad impudica & scurrilia trahunt. his vale benevole Lector &

*Si quid novisti rectius istis ;
Candidus imperti. si non, his utere
mecum.*

REG-



REGNERI DE GRAAF,

MEDICI DELPHENSIS,

TRACTATUS

DE

*Virorum Organis Generationi
inservientibus.*

QUicumque humani corporis primordia animo attentiori perpendet, hominem necessario morti obnoxium esse luce meridiana clarius conspiciet: nam præterquam quod ex tam variis atque repugnantibus principiis extructum sit corpus, ejus etiam excrementa continuâ pugnâ inter se effervescent: quorum unum, vitio in rebus naturalibus commisso, prædominium capiens, aliud superat, ac hominem gravissimis atque incurabilibus dam-

A

nis

nis afficit: quorum aliqua nonnunquam derepente, alia vero non nisi post innumeros atque intolerabiles cruciatus hominem è medio tollunt. Quando itaque materiæ occasione Naturæ hominem producere immortalem non licuit, Rerum Opifex ipsi ad immortalitatem quantum potuit (ut fragilitati humani generis succurreret) auxilium machinatus est, quo illum non per aliquot annorum millia sustineret, sed ad æternitatem in nova sobole proveheret: in quem finem organa diversa, quibus opus hoc necessarium perficeretur tam affabre extruxit, ut jure merito exclamare possimus hic Deum Optimum Maximum, si alicubi, magnum certe non solum providentiæ mentis, sed & mirabilis cujusdam sapientiæ testimonium reliquisset. Proinde ridicula est *Chryssippi* sententia, qui Naturam sic virilem sexum exornasse censuit, ut Fœminam adjunxerit tamquam appendicem, ut pavoni caudam. Nec minori

contumelia *Aristoteles* Fœminam, marem imperfectum appellat: vel, ut loquuntur barbari Philosophi, animal occasionatum. Nos autem existimamus Naturam non minus in Fœminæ quam Maris generationem intendere, nam absque Fœminis nulla fieret animalis generatio: ac sanè perfectio quædam est speciei Fœmineitas, quia sexus non nisi in speciebus perfectis distinctus est. Jam vero quibus notis uterque sexus distinguatur videndum est: sunt qui existimant virilia dicta membra à muliebribus non differre nisi solo situ, & Marem definiunt, *quod in alio generare potest*: Fœminam, *quod in se ipso*, agendi tamen principio aliunde mutuato. Sensu quoque discrepant, ut partibus quibusdam, ad congressum & procreationem accommodatis, quæ omnes communi nomine Partes Genitales sive Pudenda ab autoribus appellantur, quod iis importuno tempore & loco detectis pudore afficiamur. Partium Genitalium

aliæ Maribus, aliæ Fœminis datæ sunt, de iis in hoc Tractatu tantum agemus quibus Mares gaudent.

Genitales ergo Marium partes dicuntur eæ, quæ ad sibi simile generandum in alio sunt destinatæ, atque dividuntur primo in Internas & Externas: Internæ sunt quæ intra abdominis cavitatem latitant, Externæ vero appellantur eæ quæ foris protuberant; quæque rursus commodè in duas dividuntur partes, in eam scilicet, quæ uteri vaginam ingreditur, & illam, quæ foris sacci instar propendens manet. De quibus omnibus cum ordine tractare nobis propositum sit, optime nos facturos existimamus, si externarum partium, utpote quæ primo in conspectum veniunt, & sine quibus aliæ non nisi interrupto sermone pertractari possunt, examen primo proponamus, exordium facientes à Testibus, quorum Nomina primo, deinde Numerum, Sicutum, Magnitudinem, Figuram, Integumenta, Vasa, Substan-

stantiam, ac denique eorum Usum recensēbimus.

Testes vocantur partes genitales extra cavitatem abdominis in Scroto propendentes, vel quod virilitatis testimonium præbeant, cum ex his virum generationi idoneum cognoscamus, vel quod nullis apud Romanos testari licuerit, nisi cui *Testes* essent & *Sexus* forent Masculini. Vocantur præterea à nonnullis *Poma Amoris*, *Bracchica Mala*, *Globuli Naturales*, *Colei*, *Didymi*, &c. uti illi qui illarum partium appellatione multifaria delectantur ex *Anatomicorum* libris plenius cognoscent.

Numero bini sunt: ut in muneris quod subeunt necessitate alter in alterius languentis aut deficientis suppetias veniret. Hinc Græcis *Didymi* quasi *Gemelli* nuncupantur, quod quemadmodum hi in uno utero nascuntur, sic isti in uno Scroto semper gemini contineantur, modo communem Naturæ ordinem respicias.

Extraordinario Naturæ cursu aliquando nulli, aliquando pauciores, aliquando vero plures ab accuratis Naturæ indagatoribus observantur.

Qui Testiculis carent Eunuchi dicuntur; nec solum, verum etiam illi quorum Testiculi fissâ ferulâ compressi & paulatim confracti sunt; quod optimum genus castrationis putat *Mago* apud *Columellam lib. VI. cap. XXVI.* Dum enim istud fit, vasa Testiculorum rumpuntur atque ita transitus interceptur semini, est enim teste *Hippocrate lib. de off. Nat.* seminis per testes via. Quia tamen in isto castrandi modo facilè evenire potest, ut maneant aliquæ viarum integræ: & quos spadones pueros foeminis custodes adhibuissent, eos adultos postea cum illis in adulterio deprehenderint mariti: ideo Testes deinde coeperunt extirpare suis eunuchis, quo securioribus esse sibi liceret. Verum Asianorum barbaria, cum ne sic sibi cautum satis experirentur, progressus fecit in crudeli-

delitate, & totius virilitatis amputatione ultra flagitium fuit, ut memorat *Busbequius epist.* III.

Eorum quibus uterque vel alteruter Testiculus castratione ablatuſ est exempla proferre nullo modo operę pretium videtur, quandoquidem unicuique notum ſit, abhinc aliquo tempore, Testiculorum extirpationem in hernia laborantibus adeo familiarem fuiſſe, ut quidam laute iſtac operatione victum & amiſtum lucrarentur, ſed crudelis ac periculofa nimis illa hernię curandi ratio, per ſubligaculorum ſive bracheriorum inventionem ita abolevit, ut jam vix aliquem reperias qui ſolum panem hominum caſtratione lucretur. Proferam proinde aliquot exempla eorum, qui à natiuitate vel nullos, vel unum tantum, vel etiam plures Testiculos habuerunt.

Nullos omnino Teſtes in homine obſervatos fuiſſe ſcribit *Bartholomæus Cabrolius obſerv. tertia* dicens accidiffe Monſpeli anno 1564. ut ex ſtipato-

ribus *Mommorantii*, qui tunc temporis ibi commorabatur quidam vim faceret virgini, Mommorantius ut forte illac iter faciebat, audito matris clamore, reque intellecta, hominem ut erat, ipso momento è fenestra suspendi jubet, cadaver ejus Theatro Anatomico illatum, cum ad genitalia ventum esset, stupratorem illum *Plauti* joco intestatum, hoc est Testibus carentem tam exterius quam interius invenerunt, cellulas tamen illas in eo venereosin usus arma prompturas, ut in aliis notarunt. Refert etiam *Senner-tus lib. III. c. II. de Testibus*, aliquando nullos testiculos reperiri: nos tamen nunquam fuimus tam foelices ut talia subjecta in manus nostras incidere-
rint.

Cum uno Testiculo natos fuisse exempla si quærat, dabit *Johannes Riolanus in Anthropographia lib. II. cap. xxxi.* ubi refert se in Juvene viginti quinque annos nato, quem in scholis publice dissectabat, unum tantum

tum offendisse Testiculum, eumque finistrum marcidum ac vitiosum, dextri per castrationem aut per punctum aureum exempti nulla fuisse indicia. Dabit *Petrus Borellus histor. & observ. rar. medico-physic. cent. 11. observ. LX.* ubi scribit se novisse Monachum unum habentem Testiculum. Et insuper quia majori numero observationes confirmare bonum est, nos ea quæ ex propria observatione ea de re notavimus lubenter hic adjungemus. Meminimus nos cum Domino *Hey* piæ memoriæ in Nosocomio Leydensi, aliquando cadaver disseccuisse, in quo tantum unus Testiculus reperiabatur, nulla cicatrice in Inguine aut Scroto existente, quâ de causâ uxorem ejus, apud quam quatuor liberos procreaverat, serio interrogavimus, num unquam duos Testiculos habuisset, quæ nobis respondebat maritum suum nunquam plures quam unum Testiculum gestasse.

Contra vero compertum est quos-

dam tres Testiculos habuisse, idque nonnullis familiis proprium est, & singularis libidinis argumentum. Referrunt plerique Anatomici in familia illustri *Coleonum* multos habere tres Testiculos; & *Fernelius lib. I. patholog. cap. VIII.* refert se novisse tertium Testiculum omnibus quibusdam familiis superabundasse. Tertium testiculum in quodam libidinis immoderate observavit *Montuus, ut c. xxxvii. tom. IV. Anasceu. morbor.* scribit: & in filio Typographi cujusdam tertium Testiculum se vidisse refert *Scholiographus ad cap. LXII. lib. I. de morbis internis Hollerii & Forestus, ut l. xxvii. obs. xv. in scholio* refert, novit civem Antwerpianum qui tres testiculos habebat & valde luxuriosus erat. *Petrus Borellus* in loco superius citato scribit, se novisse virum, cujus Pater & Filius tres testiculos habuerunt, & alium adhuc tribus etiam testiculis præditum vidisse narrat. Novimus etiam in hac civitate Delphensi civem tribus Testiculis

sticulis instructum & plurimorum liberorum parentem.

Situs Testiculorum naturalis ita notus cuique est, ut nulla descriptione indigeat, illis præcipue, quibus cum magnis & sæcundis Testibus res præclare & fœliciter agitur, præternaturalis vero cum non ita notus cuique sit, de eo ut quædam dicantur operæ pretium videtur.

Refert *Joannes Riolanus Anthro-
pog. lib. II. cap. XXIX.* se novisse nobilem, qui numerosam prolem è lectissima conjuge suscepit, cum tamen haberet dextrum Testiculum in inguine latentem, qui herniæ specie Medicos & Chirurgos fefellit. Retulit nobis Clarissimus quondam Professor noster *Franciscus De le Boe Sylvius*, se in nobili quodam viro utrumque testiculum in cavitate Abdominis latentem invenisse, quod etiam nos semel in canè observavimus, in cujus Abdomine immediate infra Renes utrumque Testiculum conspeximus, quod sæpenu-
mero

mero (ut Ianio quidam nobis retulit) in Arietibus contingit, quos cum iuniores castrare tentant imperiti, compressione digitorum, antequam exsecti sunt, per processum peritonæi in cavitatem Abdominis aliquando propellunt, ubi ad finem vitæ permanent, remanente nihilominus coëundi desiderio, quod non minus quam in aliis Arietibus, qui eos in Scroto gestant, cum tempore accrescere ab ipso observatum est. Hinc statim tales se litem perdituros existimare non debent ex eo quod cum testibus prodire non possint, quia, uti ex dictis liquet, aliquando in cavitate Abdominis continentur & ibi vim suam exercere possunt Testiculi æque ac in Fœminis, quæ nunquam illos extra cavitatem Abdominis pendulos gestant; imo si auctoritatibus habenda fides sit, pugnæ Venereæ aptiores existent, nam dicunt animalia, quæ testes in cavitate abdominis abditos habent, falaciora esse, sæpius coire, & plures foetus gignere.

Testes

Testes intra cavum Abdominis ad pubertatem usque latuisse duabus historiis probat *Martinus Rulandus*, unica *Pareus* & non dissimili *Bartholinus* in hist. cent. I. hist. xxxv I.

Testes etiam situm quandoque quasi mutant, & nimis penduli fiunt: quod interdum contingere existimat *Sennertus* ex nimia equitatione, interdum ex natatione in aquâ frigidâ, interdum ex materiâ frigidâ, ligamenta, à quibus pendent, seu cremasteres laxante, quod accidit in morbis gravioribus & virium debilitate.

In viris naturaliter foris propendent extra Abdomen, sub ventre inferiore ad radicem Penis in Scroto, involucri suo, ut ob longum ductum diuturnior materiæ seminis mora meliorem præparationem efficiat.

Magnitudo Testiculorum etiam sæpe variat: communiter in viris instar exigui Gallinacei ovi, vel majoris Columbini, reperiuntur: in senibus tamen & valetudinariis, utpote in quibus

bus vasa femine non turgent, vix ad illam magnitudinem accedunt, sed minores ac flaccidiores inveniuntur.

Notant plerique Anatomici testes inter se magnitudine plurimum differre & perpetuâ quasi Naturæ lege dextrum sinistro majorem atque calidiorem esse, unde *Hippocrati* dexter Testiculus Marem generans dicitur, sinister vero Fœminas procreans appellatur. Subit hic mirari tam solertem Naturæ indagatorem in tam absurdam erepisse sententiam, quoniam non perpetuo naturæ instinctu dexter Testiculus sinistro major existit, neque majora aut plura habet vasa sanguinea, neque alium etiam sanguinem præter Arteriosum, utpote à quo ejus calor expectandus foret, accipit; uti unanimiter affirmarunt omnes Anatomici, postquam sanguinis circulationis inventu constat nihil per venas ad Testes affluere, sed tantum generationi seminis aut nutritioni superfluum per venas ad cor redire.

Existimant quoque alii Hippocratis vestigia infecuti & potius speculatione quam rei veritate ducti (uno enim falso & absurdo posito multa absurda sequuntur) Mares nasci, quoties semen Masculum ex dextro Teste ortum, in dextrum uterum incidit; Fœminas, quoties semen masculum ex sinistro Teste ortum, in sinistrum uterum incidit: quod non minus experientiæ quam rationi repugnare cuique patere potest. Experimentiâ namque didicimus in cive Delphensi, qui cum Testiculo dextro ex uxore honestissima varias filias suscepit, sinister enim Testiculus ad herniæ curationem in juventute ademptus erat. Rationi etiam contrarium est, cum tantum sit una species seminis & una in utero cavitas, quæ ultra amygdali excorticati magnitudinem vix quidquam capit in non gravidis. Non tamen inficias ibimus alterutrum Testiculum propter vasa quandoque magis turgida aliquando majorem

rem reperiri: nam illud observant sæpe ii, qui herniam curare in se suscipiunt, ut & ii qui plura cadavera difsecandi occasionem habent. Cum de inæqualitate quo ad magnitudinem egregium & in praxi utilissimum exemplum referat *Hieronimus Fabricius ab Aquapendente in operat. Chirurg. part. I. cap. LXXIII.* ipsissima ejus verba hic adjungam: *Vidi, inquit, plurimos ad me venientes, credentes se male habere, quod unum testem altero majorem in se ipsi observarent, propter quam imaginationem videbatur illis Testem majorem dolere, ego autem certos reddidi id naturale esse, neque ullum malum inde eventurum. Cum itaque adolescens ejusmodi Testium inæqualitatem in se ipso observaret, ostendens hunc testem operario, ille dixit, se habere herniam, & brevi moriturum, nisi extrahatur testis, atque ut brevius perstringam, eoligato, dum Testem extracturus esset, accurrens pater adolescentis, qui erat in religione, & videns horribile id spectacu-*

Etaculum retinuit operarium ab opere, dicens, se velle ut prius ego viderem patientem; qui propterea solutus est, & cum me adiret, dixi, ipsum nullo prorsus malo detineri: & ita fuit.

Novimus etiam aliquem Goudæ, cujus Testiculus finister ad pugni magnitudinem sponte sua excreverat; qualia spolia sæpè reportant ii, qui in Veneris castris militant.

Contingit etiam non raro utrumque Testiculum in ingentem magnitudinem excrecere, uti videre est in *Plateri observ. lib. 1.* ubi refert se in homine tam obeso & vasto, ut vix pede progredi & incedere posset, Testes tam magnos & ponderosos observasse, ut capitis magnitudinem adæquarent. Refert etiam *Laz. Riverius in observ. communic. XLIV.* de D. N. N. qui Testiculos magnos admodum habebat à Natura, ut multo intervallo superarent magnitudinem Testiculorum e- qui; ex quibus, ut refert, postmodum deciderunt frustra lapidea, quæ fili- ceam

ceam duritiem æmulabantur, & mal-
leolo contusa in multas partes dissilie-
bant, ut cæteri lapides. Raram simi-
liter historiam de hac materia refert
*Gulielmus Fabricius Hildanus in ob-
serv. Chirurg. cent. v. observ. XLVIII.*
de quodam hydropico, in quo Testi-
culus dexter ad ovi anserini magnitū-
dinem adauctus, pilis (materiæ cui-
dam purulentæ, oleaginosæ & albæ
commixtis) infarctus, repertus fuit.
*Laurenbergius de magnitudine Tes-
tium* agens in hæc verba erumpit: o-
portuit eum pensilibus probe peculia-
tum fuisse, cujus Colei pependere du-
pondium teste Satyrico:

*Ergo expectatos & jussos crescere pri-
mum*

*Testiculos, postquam ceperunt esse bi-
libres.*

Figuram Testiculorum si spectetis,
tum securitatis tum capacitatis gratia
ovalem reperietis, quæ tamen non-
nunquam, ob vasa vicina vel interna
magis vel minus turgentia, in aliam
for-

formam mutari potest, uti hoc plures in morbis Venereis, aliisque nobiscum observare potuerunt.

Testiculorum Integumenta five Involucra quod attinet, amplitudine, structura atque tenuitate ab invicem multum variant; in quorum numero & appellationibus non conveniunt inter se Anatomici; *Vesalius* enim quatuor tunicas agnoscit, *Columbus* quintam addit, item *Lindanus* quinque enumerat, alii in sex vel septem tunicas hæc involucra distinguunt: sed si rem penitius inspiciamus, videbimus hanc litem non esse magni momenti, postquam nostri sæculi dexteritas simplicissimas, ut apparent, tunicas in plures adhuc dividere didicit; ne tamen confusio anisam demus, conjunctas sibi fortiter tunicas dividendo, eas proponemus prout ordinario & à plerisque Anatomicis statuuntur ac facili negotio demonstrari possunt.

Distinguuntur Testium involventes

B 2

Tunicæ,

Tunicæ, in communes & proprias. Communes dicuntur quæ utrumque Testiculum involvunt, & duæ numerantur, quarum prima sive externa Scrotum & bursa appellatur, quia coriacii sacculi similitudinem refert. Scrota enim veteribus dicebantur quæcumque ex pelle fiebant, vulgus hanc partem marsupium & bursam virilem vocat, quæ nihil aliud est, quam cutis cuticulâ tecta. Notandum hic cutem Scroti longe quam in reliquo corpore tenuiorem, sed venis frequentioribus intertextam; præter hanc vero tenuitatem cutis aliud quoque particulariter hic, ut & in Fronte ac Pene sibi vindicat, quandoquidem nullus inter ipsas intervenit naturaliter adeps: præter Naturæ cursum, retulit mihi *Cristophorus Riedinger*, Chirurgus apud Amstelodamenses peritissimus, se illum observasse in Domino *Martino Schatio*, qui ad extorquendam ipsi pecuniam ante duos circiter annos prope Schoonhoviam à latro-

tronibus vivus ad ignem tostus fuit, unde tandem miserrime solitariam suam vitam cum morte commutavit: hic cum in vita herniâ intestinali laboraret, nullus Chirurgorum unquam ea, quæ in Scrotum prolapsa videbantur, ita reducere potuit, quin semper adhuc præter Testem, tumor instar ovi gallinacei majoris remaneret; cujus rei causam cum satis capere nunquam possent, aperto cadavere sedulo in eam inquisiverunt, & observarunt in Scroti fundo multum pinguedinis excrevisse & intestinum Ileon vaginali tunicæ plurimarum fibrarum interventu firmiter accrevisse.

Primaria causa, quare Natura huic membranæ pinguedinem denegavit, videtur nobis, ne per illam aliquando in nimis magnam molem excresceret, minusque laxari, corrugarique posset.

Scrotum in infima sua sede lineam habet secundum sui longitudinem excurrentem, quâ in dextram, sinistramque partem dividitur; quæ ut-

plurimum Sutura apud Anatomicos nominatur.

Altera communium tunica & interna ex panniculo carnosio constat, etiam tenuiore quam alibi, venisque & arteriis plurimis referto, & Dartos dicitur: quod involucrum ab aliis sub Scroti nomine comprehenditur. Hujus Tunicae beneficio contingit ut quam promptissime Scrotum contrahatur, & rugosum fiat, praesertim si aliquando homo sanus in aëre frigidiore obambulet, vel in aquam incidat: quod cum omnibus notum sit, referemus historiam à nobis aliquoties in homine observatam, qui mediante hac tunica (cum à cute id provenire non possit) Scrotum pro libitu attrahebat, atque motum in illo à peristaltico intestinorum non absimilem, quotiescumque id desiderarem, excitabat.

Non hic omittendum mulierculis circa educationem infantum versantibus, signum bonae vel adversae valetudinis desumi ex corrugatione vel relaxa-

relaxatione Scroti: quando enim Scrotum corrugatum conspiciunt, infantem recte valere judicant, contra vero, si relaxatum propendeat.

Propriæ vero appellantur tunicæ, quæ singulos testiculos separatim tegunt, atque in utroque Testiculo duæ numerantur, quarum prima Erythroides apud Græcos vocatur, idque propter colorem rubicundum. *Paulus Aegineta* hanc tunicam capreolarem vocat, quod vasorum præparantium plexum in modum capreolorum hederæ contortum in se contineat; sed melius nostro judicio ii facere videntur, qui hanc Tunicam Vaginalem appellant, quia revera Testes tamquam in vagina continet. Originem habet à Peritonæo, cujus partes, progressusque merito censetur; nam ita à Peritonæo prodit, quemadmodum Scrotum à cute deduci, pronascique cernimus.

Externæ hujus membranæ adnascuntur muscoli Cremasteres, utrinque unus, qui in hominibus ortum habent

à ligamento quod in osse pubis est; in canibus, aliisque animalibus à tendinibus musculorum transversorum obscuro admodum principio originem trahere videntur, atque secundum totam Tunicæ Vaginalis longitudinem, posteriori præsertim in sede, fibræ ejus carneæ excurrunt; quâ de causa externa hujus tunicæ superficies aspera & fibrosa cernitur, interna vero quâ Testem ipsiusque vasa respicit, lævis & aqueo quodam humore obducta est; atque inferiori præsertim Testium parti valide adnectitur.

Ufus hujus tunicæ potissimum triplex est; primus, ne Testes frigoris tempore plurimum paterentur, communium membranarum instar illos tegere ac fovere. Secundus, ipsos suspendere, ne pondere suo nimium descendant ac vasa spermatica in opere suo impediant. Tertius, ipsos attrahere ad meliorem seminis excretionem, quemadmodum in Veneris actu illud à se observatum scribunt varii.

Repe-

Reperiuntur teste *Bartholino*, qui musciculum hunc tam robustum habent, ut pro arbitrio Testes retrahere ac rursus dimittere possint, quemadmodum superius de Scroto diximus.

Altera vero propriarum tunica Albuginea nominatur, & nihil præter Testis corpus, substantiamque, cum annexis huic vasis amplectitur, Testis figuræ ad amussim respondens aut potius illam efformans; quippe dura & crassa validaque admodum est membrana, testis substantiam utcunque mollem ac sequacem involvens, impediendo ne disrumpatur; deinde etiam conducit ut ipsius interventu vasa testibus melius communicentur: egregie enim in vitulorum Testibus, inter duplicaturam hujus tunicæ, vasa sanguinea excurrere conspiciuntur.

Externa hujus tunicæ superficies lævis & aqueo humore perfusa cernitur: interna ejus pars, qua Testis substantiam continet, undique illi, sed eviter, adnascitur.

In elatiore hujus tunicæ parte Vena & Arteria ac Vasa Lymphatica cum Nervis ipsi adnascuntur, quæ quando dictam tunicam perforantes in Testis substantiam exporrigantur, postea dicemus.

Præterea etiam sibi adnatos habet hæc tunica in extremitatibus, quam in medio, arctiores semen deferentis vasibus anfractus Testi obductos; qui à primis Anatomes Professoribus, qui Testem Didymon vocarunt, Epididymides, quali supergeminales, nominati sunt, quo nomine eos in sequentibus semper trademus.

Quatuor jam enumeratis tunicis, cum de Testium substantia nobis sermo erit, fortassis quintam addemus. Nunc vero vasorum historiæ mentem alacriter accommodantes de eorum Numero, Exortu, Magnitudine, Progressu & Ufu, quæ dicenda sunt, proponemus; videndo, quid in singulis notatu dignum occurrat, quod ad veram Testiculorum notitiam aliquid conferre possit.

Horum

Horum Vasorum Historiam inchoanti, aperto Abdomine primo in conspectum veniunt vasa Præparantia, quæ à plerisque Anatomicis ita nuncupantur, propterea quod Sanguinem aliquo modo præparare pro Seminis generatione credebantur. Duæ sunt Arteriæ, totidemque Venæ, quarum singuli Testiculi utrimque unam obtinent.

Arteriæ cum sanguinem, tamquam materiam, ex qua semen generatur, ad testes deferant, de earum origine primo dicendum. Oriuntur autem, si communem Naturæ cursum inspicias, ex Arteriæ Aortæ trunco, duorum digitorum transversorum intervallo sub Emulgentibus, non à dextro ipsius latere, sed antica sede enascentes, quarum dextra venæ Cavæ truncum conscendens oblique ad venam ejusdem lateris excurrit; quemadmodum sinistra, quæ ad latus arteriæ dextræ originem sumit, ad venam ejusdem lateris expatiatur.

Extra-

Extraordinario Naturæ cursu exortus dictarum arteriarum sæpe variat, quemadmodum nuper in Theatro nostro Anatomico, in cadavere cujusdam suspenso, demonstravit dextrimus Civitatis Delphensis Anatomicus, & eorum quæ in hoc Tractatu proposui testis assiduus, D.'s Gravefande, in quo gemina arteria ex Aortæ trunco originem sumere conspiciebatur, quarum una usque ad Emulgentem venam sinistri lateris ascendebat, quam postquam amplexa esset, deorsum flectebatur, & connectebatur cum altera arteria ejusdem lateris, atque sic simul cum vena præparante deorsum ferebatur.

Arteriæ jam descriptæ quamprimum simul conveniunt, quod non procul ab eorum exortu contingere observamus, ope membranæ à Peritonæo factæ copulatæ per lumborum regionem supra primum Femur flectentium musculum, *Ψόας* dictum, superque Ureteres utrimque vectæ, rectè

de excurrunt, in progressu hinc inde furculos, sed perquam exiguos, Peritonæo, intra cujus duplicaturam deorsum tendunt, impertientes, atque sic ad Peritonæi processus progrediuntur.

Peritonæum autem non perforant hæc vasa præparantia, ut in canibus, in quibus Peritonæi processus instar calami hiat, sed feruntur inter ejus duplicaturam, ita ut superior Peritonæi membrana foramen claudat, ne Intestina in Scrotum illabantur: atque hæc est membrana, quam in hernia aliquando ita dilatatam vidimus, ut Intestina, Omentum, &c. in Scrotum propenderent. Et profecto, si homines (quos Deus erectos voluit magis quam reliqua animalia, uti hoc eleganter sequentibus versiculis Poëta descripsit,

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,

Os homini sublime dedit cælumque tueri

Fussit,

*fussit, & erectos ad sydera tollere
vultus.)*

Peritonæi processum hiantem haberent, periculum esset, ne omnes herniâ laborarent, ex eo quod Intestina pondere suo per illud foramen in Scrotum deciderent; quod non tam facile contingere potest in quadrupedibus, quorum venter inferiori loco situs est, & per quorum Peritonæi processus Intestina exire non possunt, nisi contra naturam ascenderent, neque id etiam fieri potest, dum animalia se quandoque semel erigunt, quia processus illi non tam facile dilatantur; sed tractu temporis propter humiditatem, quæ circa illas partes hæret, sensim in hominibus ut plurimum relaxantur; hinc etiam forsan ratio peti potest, cur in humidioribus regionibus homines magis quam in siccioribus, herniâ infestentur.

Arteria præparans cum jam una cum aliis vasis cavitatem abdominis dereliquit, hinc inde exiguos admodum
& non

& non nisi post diuturnam arteriarum inflationem in conspectum venientes furculos quandoque emittit, qui in membranis vasorum, præsertim præparantium, ita excurrunt, ut visus aciem effugiant; truncus vero in homine, non quemadmodum in aliis quibusdam animalibus, tortuoso, sed recto ductu ad testiculos tendit.

Hoc mirum videbitur omnibus tam veteribus, quam recentioribus Anatomicis, qui omnes, quotquot sunt, ea in re decepti fuerunt, ex eo forsan quod magis brutorum, quam hominum (utpote quæ magis ad manus sunt & in quibus facilius conspiciuntur) vasa præparantia examinarunt: nos autem non brutorum, sed hominum vasa præparantia describere studentes constanter asseveramus, ea non in varios circinnos, capreolos, seu pampinos vitium imitantes, contorqueri, sed recto fere ductu ad testiculos excurrere, unde apparet minus recte corporis pyramidalis nomen iis impositum fuisse. Ante-

Antequam tamen Arteriæ præparantes testiculos accedunt, ordinario tribus vel quatuor digitis transversis supra earum in Testiculos insertionem in duos ramos dividuntur, quorum minor sub Epididymide, alter ad Testem excurrit.

Hoc in loco jam primo considerandum atque examinandum occurrit, num vera sit adeo decantata Anatomicorum sententia, quæ dicit, Arterias Præparantes cum venis ejusdem nominis per Anastomoses plurimis in locis simul jungi; secundo, utrum Testis substantiam ingrediantur, vel tantum cum Epididymidibus simul copulentur dicta vasa Præparantia?

Priori difficultati respondendum nobis videtur, nullas dari in toto corpore visibiles Anastomoses, id est, tales vasorum connexiones, per quas sanguis vel alius liquor ex arteriis immediatè transit in venas, vel contra. Asserti nostri veritas exiguo admodum labore ac difficultate unicuique patere

patere potest, non enim necessarius est ad dictorum vasorum examen unius vel duorum dierum assiduus labor, qualem illi ante sequentis experimenti inventionem impendere aliquando non recusavimus.

Injiciatur laqueus in vasa semen præparantia prope Testiculum, & immittatur tubulus in Arteriam præparantem, atque per Syringam nostram tubulo applicatam liquor versus Testiculum propellatur: hoc cum recte peragitur, quid quæso contingit? liquor, quamprimum arterias undique impleverit, sistitur, nec in venas intrat, quod nostro judicio fieri deberet, si hæc vasa per Anastomoses simul copularentur; dissoluto vero vinculo, si liquorem ulterius propellere pergas, brevi observabis illum per venam tanto impetu redire, quanto per arteriam impellitur. Utrum hoc jam fiat, quatenus arteriæ cum venis junguntur in Testibus, vel quatenus humorem per arterias in substantiam Testium

effusum venæ suscipiunt, sub Judice
lis est; nostri enim oculi hætenus non
fuerunt tam Lincei, ut litem illam au-
topsiâ potuerint determinare; sed qui
contentione volet sustinere illud per
Anastomosin contingere, vix fortas-
sis posset rationibus convinci, nisi af-
firmanti incumberet probatio: vel si
videret in hepate aut alio viscere li-
quorem beneficio Syringæ ex arteria
in venam propelli & postmodum abla-
to parenchymate inter illorum visce-
rum vasa (quæ capillo minores elegan-
tissimo spectaculo sese oculis offerunt,
præsertim si in pelvim aquâ plenam
injiciantur) nullam omnino Anasto-
mosin existere, per quam flatus aut li-
quor ex arteria in venam propelli po-
test.

Non solum experientiæ, verum et-
iam rationi adversatur, visibiles at-
que patentes Anastomoses inter ar-
teriam & venam præparantem existe-
re antequam ad Testes pervenerunt:
nam si ibi liber transitus daretur ab ar-
teria

teria in venam, nullus sanguis, motu Cordis per arterias præparantes deorsum propulsus, ad Testes pertingeret; quia qua data porta rueret: non enim vias angustas & difficiles subibit liquor, dum patentes invenit, uti hoc videmus in omnibus rebus naturalibus contingere. Ne tamen extra corpus nostrum exempla quæramus, videamus quæso an in excarnato Hepate, si vasa majora ruptione aperta sint, liquor vel flatus in eorum cavitatem propulsi capillaria vasa subituri sint, frustra illud, quamcunque etiam diligentiam adhibeas, semper tentabis; frustra etiam aperta prope testes arteria præparante liquorem per arteriam in venas propellere tentabis. Videsne igitur nullam anastomofin dari? Id ipsum etiam aliquo modo probatur ipsissimis adversariorum sententiis: fatetur enim *Spigelius* Anastomoses hæc exiles admodum esse, ut veteres propterea inconspicuas *consuerint*; & *Bartholinus* fatetur *non apparere ad*

oculum omnium Anastomoseon genera in demortuis: contra quem Glissonius acriter insurgit, petens, cur Bartholinus addat *in demortuis*, an ut fidem faceret eas in viventibus conspicuas esse? id vero non ausus est aperte proferre, neque modum ullum docuit, quo illæ in talibus conspici possent, quod tamen factum oportuit, fecissetque procul dubio, modo ei aliquis innotuisset. Ipsemet paulo post explicite magis loquitur: *Ego, inquit, (teste Glissonio) curiose in bovino hepate inquisivi Anastomoses manifestas, in quibus magis, ob magnitudinem, conspicuæ esse debebant, exemplum Doctissimi Spigellii secutus: verum enim vero oculum fugiunt: paucisque interpositis addit, cæterum nunquam pervio foramine stylus per illam Anastomosin admittitur.*

Plura si quis de hac materia legere curiosus sit, videat *Glissonium de usu Hepatis cap. xxxiii.* ubi variorum Auctorum opiniones, earumque solutiones

nes pluribus proponit, atque ostendit omnes in asserendo Anastomoses in Hepate falsos fuisse, errorisque quorundam occasiones assignat.

Cum jam Arteriarum Præparantium exortum atque progressum usque ad Testiculos profecuti simus, antequam ulterius progrediamur, de venis Spermaticis quid dicendum sit inspiciamus.

In Venarum Præparantium exortu varius Naturæ scopus dicam an lusus observatur. Dextra ut plurimum paulo sub Emulgente è trunco Venæ Cavæ descendente, & quidem ex parte ejus anteriore originem ducit, & plerunque simplici, quandoque gemino conspicitur principio.

Sinistra ex media & inferiore sede Emulgentis lævi lateris oritur, quamquam sæpissime visum sit, utramque venam ex Emulgente sui lateris enatam fuisse.

Antequam Venæ Præparantes Abdominis cavitatem egrediuntur, in

plures dividuntur ramificationes, quarum aliæ, præsertim quæ ex earum principio egrediuntur, ad Omentum & Peritonæum tendunt, aliæ hinc inde iterum coalescentes & nihilominus continuo plures ramificationes emittentes, turmatim ad Testes excurrunt; ita ut si corpus pyramidale quatuor vel quinque digitis transversis supra Testem abscindas, quamplurimas venas apertas conspicias, quarum unâ inflatâ, nisi hoc valvulæ impediunt (uti id sæpenumero contingere à nobis visum est) statim omnes intumescent: quia in re decipi aliquando possent ii, qui arteriam à vena distinguere non valentes, arteriarum cum venis Anastomosis inde concluderent; quod vel ideo libentius hic admonemus, quia aliquando, dum adhuc minus circa illarum partium investigationem exercitati essemus, in eundem errorem incidimus.

In dictis venis Præparantibus Primo notandum plurimas dari valvulas,
non

non solum circa earum egressum ex vena Cava aut Emulgente, verum etiam per omnes earum ductus ad Testiculos excurrentes.

Secundo venas admodum varicosas præsertim circa valvulas in multis hominibus occurrere, unde à quibusdam Anatomicis corpus pyramidale varicosum appellatum fuit.

Tertio venas in homine non tam recto ductu, ut Arteriæ solent, ad testes properare, sed subinde aliquot minores furculos, qui in membranis terminantur, sursum emittere, qui tenellos vitium capreolos quodammodo referunt, & inde corpus pyramidale pampiniforme à non paucis nominatum est.

De magnitudine horum vasorum non nobis eadem est opinio cum reliquis Anatomicis, qui dicunt Arterias Venis ordinario majores existere, quia semper ejus contrarium clare conspeximus: Non tamen negamus eas aliquando præter Naturæ ordinem venis

majores reperiri, uti ejus rei egregium exemplum refert *Hofmannus in comm. in Gal. lib. xiv. de us. part. cap. x.* dicens se habere ex amicis *D. Petrum Pavium* Anatomicum Batavum, secuisse anno 1598. cadaver senis suspensi, qui venas quidem Spermaticas circa initium habebat bifidas, Arteriam autem Spermaticam non nisi unam, ex medio trunco ortam, decuplo majorem vulgaribus duabus, recta in Parastatas desinentem. hic cum annum ageret sexagesimum septimum, tam erat fœcundus, ut uxorem relinqueret gravidam cum duodecim liberis.

Nugari nobis videntur omnes Anatomici, qui dicunt aliquando unam, aliquando utramque Arteriam deesse; quia si vas sanguinem referens adsit, necessario adferens adesse debet & contra: ex quibus liquidè patet, necessario semper Arteriam & venam adesse debere.

De Ufu Vasorum Præparantium varii varia sentiunt, nos autem primaria,

ria, quæ de eo dicta sunt, paucis proponemus. Primo multi existimant, materiam feminis tam per venas, quam per Arterias versus Testiculos descendere & in itinere per varias Anastomoses inter se permisceri ad ulteriorem elaborationem. Secundo Sanguinem in Arteriis jam toties enumeratis colorem album acquirere & Epididymidibus relictis Testibus subministrari. Tertio, sanguinem in iis aliquatenus præparari, præparatumque testibus subministrari.

Primam opinionem *Spigelius de partibus, quæ virilis feminis excretioni sunt dicatæ, cap. xvii. lib. viii.* de vasibus præparantibus agens sequentibus verbis sustinere videtur: *Cæterum hæc vasa merito longissima sunt, ut diligens quædam præcedat præparatio, quam facillime in his fieri observabis, si sanguinis duntaxat advertas albedinem, quam augeri cum itineris longitudine indubitatam fidem oculorum æstimatio præstat.*

Præterea putat *Erasistratus* in arteriis Præparantibus tantum spiritum & non sanguinem contineri, & hoc fuit etiam *Aristotelis* dogma, feminales arterias sanguine vacuas esse.

Sed horum opiniones nulla profus probabilitate nituntur, primo, quia impossibile est sanguinem per venas spermaticas versus Testiculos descendere, idque propter valvulas in iis existentes, & sanguinis motum, qui lege circulationis continuo per illas ascendit. Secundo quia sanguis arteriosus cum venoso, antequam ad Testes pervenit, nequam simul permisceri potest, quoniam hæc vasa nullibi inter se commercium habent, quemadmodum superius sufficienter probavimus.

Secundam opinionem, quæ dicit sanguinem in venis albescere, &c. defendere conatur *Caspar Bauhinus* cum de vasis spermaticis præparantibus sub finem cap. xxv. scribat: horum vasorum usus non solum sanguinem tum venalem tum arterialem cum spiritu vitali

tali, ad Testium nutritionem & vitam deducere, verum etiam materiam (excrementum benignum, utilis & ultimi alimenti) ab omnibus corporis partibus delapsam & jam immutatam recipere, & ad Parastatas pro seminis generatione deferre, cujus prima sit non solum sanguinis dealbatio, quæ post dimidiam eorum productionem observatur, sed præparatio in prædictis plexibus vi à testibus affulgente: quare corpus hoc basi sua intimæ testium tunicæ, ei ramulos largiens pertinaciter adnascitur, non vero testis corpus ingreditur, &c.

Suffragatur fere huic opinioni Galenus, cum refert, *lib. 1. de Semine*, arteriam & venam in utrumque testem non recta via, sed flexuosa, multiformique ferri, in eaque sanguinem paulatim albescere: postea vero ubi ipsum vas testem contingit, in eo plane seminis substantiam perspicue conspici; est etenim, ut ait, utrique tum arteriæ tum venæ generatrix natura seminis.

Quæ

Quæ opinio plurimis ita placuit, ut ei neglecta sensuum fide statim subscriperint: sed male, quia autopsia destruitur, & rationi contrariatur eorum sententia; nam quotiescumque hæc vasa, sive in principio sive in fine aperiuntur, sanguis magis quam in aliis corporis partibus floridus erumpit.

Nec etiam rationibus possumus concipere, quam ob causam sanguis tam cito rubicundo suo colore destitueretur, arteriæ enim in hominibus nimis breves sunt, neque sanguis continuo à Corde propulsus ibi tam diu moratur, ut ex rubro, quo gaudet colore, in album convertatur.

Altera hujus opinionis pars, quæ dicit sanguinem non subire Testes, luce meridiana clarius sequenti experimento convincitur: immittatur tubulus in arteriam, & affixa Syringa propellatur liquor colore aliquo tinctus versus Testiculum, & videbis admodum belle Arteriarum progressum,
qui

qui cum ad Testium supremam partem, five partem illam, ubi primo intrat, pervenerit, primo se intactis Epididymidibus in interiori Testiculorum tunica diffundit, & versus ejus fundum excurrit, ubi dum reflectitur, in furculos pene infinitos luxuriat, qui modo dextrorsum, modo sinistrorsum per Testiculorum substantiam excurrunt.

Tertiæ opinioni, quæ dicit sanguinem in arteriis aliquatenus præparari præparatumque testibus administrari, subscribit *Joannes Veslingius de partibus Gen. in viro cap. VI.* dum inquit: *officium eorum est sanguini in vasis Præparantibus, pyramidalium capreolis, nonnihil immutato seminis rudimentum præbere, Testibusque ad perfectionem ulteriorem transmittere.* atque huic opinioni adstipulantur primarii hujus temporis Anatomici, nec adeo male; verissimum enim est Arterias spermaticas ad Testes sanguinem vehere tam ad nutritionem (quia in impu-

impuberibus sanguinem vehunt antequam semen in testibus elaboratur) quam ad seminis generationem: venas vero in testium substantiam hiantes exhaurire superfluum, ne Testiculi eodem obruantur, eundemque reportare in venam Cavam aut Emulgentem sinistram, ut porro ad Cor revehatur.

Præter Venas & Arterias jam enumeratas Nervis exiguis Testiculi donantur, quorum originem non frustra à sexto nervorum pari quæsieris, nisi alter, qui aliquando occurrit, & à vigesimo primo pari spinalis medullæ progreditur, te seduxerit.

Quos à sexto pari communiter obtinent, illi à plexu nervorum in abdomine notabili originem sumunt, & una cum vasis Præparantibus, quorum plicationes ne interturbentur cavere sustinet *Wartonus l. de gland. c. xxviii.* ad Testiculos excurrunt.

Nervi jam descripti in descensu licet plures emittant furculos, tamen
ali-

aliquando (quod Nervis proprium est) majores evadunt, atque sic ad Testes properant, in quorum tunicis ita disseminantur, ut visus acie eos ulterius prosequi nunquam potuerimus; si tamen suspicionibus habendus sit locus; putamus eos ulterius pergere versus Testiculorum substantiam, ibique præstare duplicem usum, scilicet apportare spiritus animales ad seminis generationem perquam necessarios, & firmare Testiculorum substantiam, uti postea patebit clarius, dum Testiculorum substantiam explicabimus.

Vasa Lymphatica, quæ admodum dextre in Testiculis detexit nostri sæculi curiositas, non solum provenire nobis videntur à Tunica albuginea, sed etiam ab interna Testiculorum substantia.

In progressu suo pluribus ductibus sensim in unum coalescentibus vasa sanguinea concomitantur, donec cum iis Abdominis cavitatem ingressa, ab iis rursus separentur, ut liquorem suum

in

in chyli receptaculum deponant: quidnam de iis sentiat magnus ille Anatomicus & in Universitate Lovaniensi Professor honorarius *D. de Bils*, postea dicemus.

Plurimas Valvulas in dictis vasis Lymphaticis non minus quam in aliis detexerunt Excellentissimi, nobisque peculiari amicitia juncti Anatomici *Fredericus Ruysch* & *Nicolaus Stenonius*. Hæ valvulæ, cum vasa Lymphatica liquore suo distenta sunt, quo ad externam faciem nodosa forma sese repræsentant, uti videre est in tractatu de vasorum Lymphaticorum valvulis à *F. Ruysch* conscripto.

Officium harum Valvularum est impedire, ne Lympha ad Testiculos redeat, & facilius ad Chyli receptaculum sursum propellatur, quod cum ob horum vasorum tenuitatem non tam facile fieri posset, quam à venis crassiori tunica donatis, videtur nobis rerum Conditor prudentissimus valvulas in iis efformasse, ne Lympha ex earum
cavi-

cavitate, musculorum vel totius corporis motu semel propulsa, in eam rursus rediret, ut novæ Lymphæ affluenti melior locus daretur.

Ut hæc vasa Lymphatica clare atque distinctè conspiciantur, oportet, quatuor vel quinque digitis transversis à Testiculo cum vasis sanguineis simul ligentur, quamquam non raro viderimus, in animalibus recenter mactatis, ea absque ulla ligatura satis intumuisse, imo quod magis est, in majorum animalium Testiculis, ligatis vasis Lymphaticis duabus diebus post mortem, levi Testiculorum agitatione ea intumescere fecimus; ex quibus clare patet Lympham, uti superius asseruimus, ab interna Testiculorum substantia prodire.

Horum vasorum distentionem post mortem, non solum in brutis, verum etiam in hominibus habere locum observarunt Clariss. D. *Sylvius* & D. *Van Horne* Professores & Præceptores mei dum Leydæ studiis incumberem, opti-

me de me meriti, qui præsentibus aliis quibusdam curiosis Lugduni Batavorum in Juvene tribus post decollationem horis, vasa Spermatica cum Lymphaticis simul ligarunt, atque postmodum Lympha à Testiculis affluente ea distenta observarunt.

Vasa Lymphatica quemadmodum diximus intumefacta, si prope Testes abscindantur, nihil istius liquoris, quem in se continent inter ligaturam & apertionem, effluet, etiamsi digitis comprimantur vasa Lymphatica; contra vero si prope ligaturam abscindantur, quidquid intra apertionem & Testiculum continetur, statim effluet, absque quod ullo modo vasa Lymphatica comprimantur: quod indubitatum facit Lympham moveri à circumferentia ad centrum, & non contra, quemadmodum à multis ante valvularum in vasis Lymphaticis inventionem judicatum fuit.

Præter jam enumeratas Arterias, Venas, Nervos, Vasa Lymphatica, quin-

quintum vas sibi proprium obtinent Testiculi, quod inter Anatomicos Semen Deferens appellatur; corpus est quoddam Nervo majori simile, teres, candidum, duriusculum & cavitate quadam manifesta donatum, quæ ut melius conspiciatur, aperiendum hoc vas est sex vel septem digitis transversis supra Testiculum, & immixtus flatus, vel liquor quidam coloratus beneficio Syringæ versus Testiculum propellendus, & videbitis vas illud distendi & colorem per mediam ejus cavitatem primo recto ductu Testiculum versus excurrere, & postea observabitis cavitatem in ipso vase de latere in latus revolvere, & tandem cum ipso vase sensim incurvari, ad eum fere modum, quo Serpentes atque Anguillas ocyus reperere cernimus: atque sic revolutionibus non in orbem, sed ad latus factis usque ad corpora testiculorum excurrere, quorum examini explicatis jam vasis spermaticis Naturæ ordinem insecuti mentem alacri-

ter accommodabimus.

Testes quod attinet, cum superius de eorum Nominis etymologia, Numero, Situ, Magnitudine, Figura, &c. actum sit, de eorum Substantia tantum hoc in loco dicendum occurrit, quam aliqui glandulosam, alii pultracem, alii adhuc aliis nominibus indigitatam nobis obtruserunt.

Testiculorum substantiam glandulosam esse pronunciavit *Galenus* lib. qui *Isagog.* inscribitur cap. II. item, lib. III. de aliment. facult. cap. VI. ut & lib. I. de sem. cap. XVII.

Huic opinioni fere subscribit *Joannes Riolanus* lib. II. cap. XXXI. cum dicit, *Testes sunt glandulosa & veluti spongiosa corpora semini conficiendo destinata.*

Adstipulantur *Fallopianus*, *Spigelius*, *Veslingius*, &c. dum scribunt Testes adeptos esse substantiam glandulosam, albam, mollem, &c.

Prædictorum autorum opinionibus quædam addit *N. Highmorus* lib. I.

part. IV.

part. IV. cap. II. ubi sequentia proponit: in medio glandulose Testium substantiæ, corpus quoddam teres, album ac densum, vasi deferenti haud dissimile, nec minus, invenitur, nulla aut perobscura saltem cavitate donatum, quod à Testium fundo ad superiorem ejus partem ascendens, in tunicæ albuginæ anteriorem partem quam fortissime implantatur; neque tunicæ solummodo affixum, sed & illam perforare, ac in Parastatarum caput se inserere videtur, cui quam pertinacissime adheret, nec nisi sectione separabile est. In inferiore ac media parte, non nisi vasorum interventu membranæ alligatur. In hunc fere modum cum Egregius nostri sæculi Anatomicus *T. Whartonus* de gland. cap. XXVIII. pariter Testiculorum substantiam describat, de eo nihil dicemus, sed ad aliorum authorum opiniones, antequam nostram proponamus, progrediemur.

Pultaceam esse Testiculorum substantiam notavit *Ruffus Ephesus* l. II.

cap. xv. dicens *Testes at haræ instar compacti sunt & molles quodammodo.*

Rationem comparandi Testes cum pulte fundarunt in modo substantiæ, quod Clarissimo *Lindano* ita placuit, ut ei sententiæ calculum apposuerit, uti videre est in *Med. Physiolog. c. vii. §. 31. de Testibus*, ubi dicit: *pultaceam vero hanc Testium substantiam sui generis parenchyma esse, vix eget mentione.* Talis vero etiam medullæ substantia cum sit, *Celsus* dicit *lib. vii. cap. xviii: Testiculi simile quiddam medullis habent.* Neque ab hac sententia multum differt *Vesalius* cum dicit *lib. v. cap. xiii. substantiâ constant albâ, lactea, molli, & sibi undique simili, ac continua, nisi quod venulis frequentibus, iisdemq; exiguis, tenuissimisque oppletur, &c.*

Ex jam allatis tot tantorumque authorum sententiis patet, quot & quantis difficultatibus intricata sit Testiculorum notitia, de qua tam diversimode loquuntur; fane adhuc magis dif-

differre debuissent antequam rei veritatem assecuti fuissent; nam pace eorum dixerimus, nullus hactenus veram Testiculorum substantiam scriptis dilucidavit, imo quod magis est, ne quidem veritatis umbram attigit.

Illi enim, qui Testes corpora glandulosa pronuntiant, vehementer errant, quandoquidem in toto Teste ne minima quidem pars glandulæ conspiciatur, & adhuc magis à veritate aberrant, qui Testiculorum substantiam pulculosam vel medullarem judicant, quia nullam cum illa similitudinem obtinent.

Qualis igitur sit *Testiculorum substantia* si quis nos interroget, dicemus eam nihil aliud esse quam *congeriem minutissimorum vasculorum semen conicientium*, quæ si absque ruptione dissoluta sibi invicem annecterentur, facile viginti ulnarum longitudinem excederent.

Hoc sine dubio mirum, imo incredibile videbitur omnibus, præsertim

Anatomicis, qui non minori quam nos dexteritate præditi illud nunquam viderunt; sed mirari brevi desinent, postquam ad nostram imitationem unius Testiculi vas Deferens in cane vel alio animalî ante coïtum firmiter ligaverint: videbunt enim tunc testiculorum vascula, in animalibus minus salacioribus, propterea quod semine non turgeant, inconspicua, ita feminali materia impleri, ut facile ab unoquoque conspiciantur.

Et quia laboriosum atque fordidum hoc experimentum omnibus experiri non dabitur occasio, in eorum gratiam adjungam aliud experimentum, quo absque labore aut molestiâ Testiculorum vascula longe melius quam in priori conspici possunt. Accipiantur igitur gliris majoris Testiculi, & videbitis per tunicam albugineam transparenere Testiculorum vascula semine candida, quæ à Tunica albuginea denudata, si in pelvim aquâ plenam injiciantur, parumque agitentur,

tur, jucundissimo & admiratione pleno spectaculo ita à se invicem secedent, ut tota testiculorum substantia non nisi ex vasculis composita, nullorum instrumentorum ope, luce clarius conspiciatur. uti hoc sæpe demonstra- vi hujus civitatis Medicis ac Chirur- gis, quorum aliqui illud ita divulga- runt, ut timerem, ne, antequam Tra- ctatus hic propter sculptoris iner- tiam cum omnibus figuris necessariis in lucem prodiret, alius mihi egregii hujus inventi gloriam eriperet.

Ubinam vero hæc Vascula semina- ria à nobis primo descripta originem sumant, ingenue fatemur nos nun- quam assequi potuisse, quia semper antequam eousque in dissolvendo per- veneramus, propter tenuitatem dis- rumpebantur: Eorum vero finem, sive è Testiculis egressum, in multis ani- malibus clare conspeximus, eumque longe alium invenimus, quam *Hig- morus* nobis depinxit; quia non uno crasso, sed in plurimis animalibus

sex vel septem tenuissimis ductibus è testiculo prodeunt, qui singuli de latere in latus curvati majorem Epididymidis globum constituunt, in eoque simul concurrentes uno simplici ductu ad vesiculas seminales excurrunt: quod, antequam dicamus quomodo conspiciendum sit, hic monitum volumus tenuissimos illos ductus, qui dum è Testibus per Tunicam albugineam erumpunt, propter tenuitatem, ni semine turgeant, vix melius conspici posse, quam vasa Lymphatica non distenta.

Mirum itaque non est *Highmoro* hos ductus non venisse in conspectum, sed crassum aliquod corpus pro principio Epididymidū exhibuisse. Quid autem sit corpus illud, quod *Highmorus* Radicem Epididymidis vocat, jam nobis examinandum occurrit. Primo cum nullam conspicuam cavitatem obtineat, & homines, glires & alia animalia quamplurima illam non habeant, non omnino Testibus necessarium judicari

dicari potest. Et si quid nobis ea de re
judicandum foret, diceremus illud pri-
mo tam ad vasorum à nobis invento-
rum, quam sanguineorum stabilimen-
tum à Deo Optimo Maximo ordina-
tum esse: quia si vasorum sanguineo-
rum cursum in Testibus eorum, quibus
corpus illud inesse deprehenditur, pro-
secuti fuerimus, videbimus ea ipsa
postquam à tunica albuginea quasi
recte versus Testiculorum centrum
descenderint, dictæ radici annecti,
antequam ulterius per Testiculorum
substantiam dispergantur.

Præterea etiam observabimus Vascu-
lorum seminariarum congeriem cor-
pori illi pariter annecti & cum illo ad
Epididymides excurrere, ne in exitu
suo antequam eo pertingerent rum-
pantur.

Si quis hic nos roget, quare non in
omnibus animalibus reperiatur hæc
Highbori Radix Epididymidis dicta,
si talem usum qualem jam diximus Te-
stibus præstent? respondebimus illam
in

in minoribus Testiculis non tam necessariam esse quam in majoribus. Homines enim, qui minoribus testiculis pro ratione corporis præditi sunt, non habent nisi tenuissimas quasdam membranas, quæ in posteriori Testium parte oriri videntur, & per totam Testiculorum substantiam excurrunt, quemadmodum fere in arantiorum pomis membranas sive interstitia divaricari conspiciamus.

Harum tenuissimarum membranarum usus est Testiculorum vascula feminaria in suo loco detinere, ne simul confundantur, obstruanturque, & ut tutò eorum extremitates ad dorsum Testiculorum per eam excurrentes ad Epididymides pertingant.

Absolutis iis, quæ de Testibus dicenda sunt, ad Epididymides, in quas vascula seminaria feminalem materiam deponunt, sermonem dirigamus.

Epididymides quæ Latine supergeminales nominatæ sunt, Parastatarum nomine quam sæpissime ab Anatomicis indigitantur. De-

Describuntur à *Fallopio* quod sint corpora illa oblonga utrique extremo testis in parte sima alligata, capiti scilicet atque fundo (caput autem *Aristoteles* & *Galenus* vocant partem Testis superiorem protuberantem) in medio se juncta aut saltem minus alligata. Quod autem vocabulum Epididymis non significet propriam & ubique contiguam Testis tunicam, satis eleganter probat *Fallopius* ex ipso *Galeno*, qui testatur primo de sem. cap. xv. & xvi. esse corpus aut particulam quandam corporis, capiti ipsius Testis impositam.

In hac particula Epididymide appellata consideranda Figura, Substantia, Ortus, &c. antequam de ejus usu quid solidi possimus proferre.

Figuram quod attinet, quia *Vesalius* eam satis eleganter describit, hinc inde paucis mutatis ejus verbis hoc in loco utemur. Epididymidis exterius, qua Testi non committitur, gibbum, quodammodo teres est, latius nonnihil, quam crassum se offerens: quia
vero

vero tunicæ illi conantum est, secundum
 connexum testis, cavum existit. Hoc itaque corpus ab externo varicosi
 corporis latere incipiens, secundum
 illius posteriorem fertur sedem, &
 deorsum modice versus anteriora pro-
 repens, secundum posteriorem sedem
 intimæ Testis tunicæ validissime tan-
 tisper adnascitur, donec ad humiliore-
 rem Testis descenderit sedem: à qua
 denuo sursum reflectitur, intimæ Te-
 stis tunicæ attensum, incumbensque
 quidem, at non amplius illi connatum,
 neque eandem, ut hætenus formam
 retinens. Per totum ejus ductum, quo
 testis tunicæ corpus id necitur, pro-
 pemodum æqualiter crassum, ejus-
 demque figuræ est, nisi quod eo in lo-
 co, ubi primo sursum inflectitur, cras-
 sius appareat, quemadmodum etiam in
 opposito latere, hoc est, ubi vasa san-
 guinea Testibus implantantur, unde
 ad majorem hujus corporis distinctio-
 nem, in sequentibus, primam hujus
 corporis expansionem globum Epidi-
 dy-

dymidis minorem, secundam globum Epididymidis majorem appellabimus.

Substantiam hujus corporis varii Anatomici cum *Vesalio* putant esse instar durioris nervi; contra quos sese opponit *Fallopianus in observ. Anat. fol. 290.* dicens: *Particula enim hæc male observata ab Anatomicis, quamvis in homine videatur in superficie ipsa nervosa; tamen revera intimis glandulosa est, & si secetur, ex minutissimis quasi glandulis, veluti etiam gurgulio constat, formari videbitur: quod velim observes in crudo, coctoque teste, quoniam hoc certissimum esse reperies.* Huic sententiæ subscribunt *Bartholinus, Veslingius, & plures alii*; quos omnes ex parte errasse *Highmorus* sustinet, dum scribit *lib. I. part. IV. cap. II. Parastatarum principium ex substantia alba testis instar glandulosa, duriore tamen multum, nec cavitate donata constituitur: ex plurimis quasi glandulis, invicem per membranas connexis constat, & paulo inferius statim ubi à sub-*
stantia

stantia hac duriore reliquum Parastatarum recesserit, ad infimas descendens partes, tortuosum processibus vermiformibus in cerebello simile est. Tortuosae autem hae Parastatarum circumgyrationes, nihil aliud sunt, quam corpora teretia, cavitate manifesta donata, semenque continentia, mirifice gyrorum intestinalium, seu vasorum preparantium (supra descriptorum) instar complicata & ad fundum Testiculi tendentia.

Tamen Highmorus, qui omnium optime hanc Epididymidis substantiam descripsit, nobis etiam adhuc errasse videtur; dum dicit, *Parastatarum principium ex plurimis quasi glandulis invicem per membranas connexis constare*: quod non minus de ejus principio, quam de reliquo ejus corpore defendi potest, uti ex iis quæ sequuntur clarum evadet.

Si quis igitur nos interroget, quid fit Epididymis? respondebimus esse vas variis suis flexibus corpus, quod
testium

testium dorso affixum est, constituens. Ut hujus nostræ definitionis veritas clare pateat, auferatur primo membrana, quâ corpus hoc undequaque cingitur, testibusque annectitur; & apparebunt anfractus quamplurimi, qui cultelli acie absque vasis læsione ita à se invicem facili negotio separari possunt, ut instar cujusdam rei plicatæ in aliquam longitudinem extrahantur: nam solummodo ab uno latere in aliud revolvuntur, in eoque situ per membranam ab albuginea acceptam detinentur.

Prima hac dissolutione corpus Epididymidis in aliquam longitudinem extrahi potest: sed hoc non sufficit; nam iterum subdividitur jam semel dissolutum corpus, quod absque difficultate peragitur, si disseccetur tenuissima membrana, qua anfractus jam semel dissoluti iterum involvuntur: tunc enim observabitis vasa Epididymidis, quemadmodum in prima, sic etiam in hac secunda dissolutione, solummodo

ad latus flecti; qui flexus sibi invicem ita connectuntur, ut crassioribus Anatomicis facile pro uno & simplici corpore habeantur; quod tamen dexteritate quadam ac patientia, præsertim si Epididymis semine, aut alia materia per Syringam impulsâ turgeat, usque ad testes dissolvi potest.

Epididymidis vas modo dissolutum, quo longius ab origine, quæ supremi-
tati Testium sex vel septem ramifica-
tionibus implantatur, excurrit, eo
crassius evadit: ita ut vas eo in loco, ubi
ramificationes in unum ductum jam
concurrerunt, adhuc filotenuiori com-
parari queat, quod sensim ita incrassâ-
tur, ut instar funiculi auctum, vas se-
men deferens constituat.

Longitudo vasis jam dissoluti in
mediocri animali quinque ulnarum
longitudinem facile excedit, unde
constat primo Testes ab Epididymi-
dibus non differre, nisi quod illi ex va-
riis, hæ maxima sui parte ex uno tan-
tum ductu, sed parum crassiori, con-
stent.

stent. Secundo Epididymides à Vase semen deferente non differre, nisi quod hoc recto, illæ quasi serpentino ductu incedant, & propter tenuitatem aliquantulum molliores evadant. Atque sic filum hoc Ariadnes secuti ex Testium, Epididymidumque labyrintho feliciter evasimus.

Explicata jam Testiculorum, Epididymidumque Substantia, ulterius progrediamur, videndo, quisnam sit horum corporum Usus.

Conveniunt inter se omnes, quotquot hætenus de Testibus scripserunt, Peripateticis exceptis, eos Semini conficiendo ordinatos esse, sed utrum hoc primario, an secundario præstent, inter eos magna lis est.

Aristoteles lib. I. de generatione animal. cap. IV. putat Testes non esse necessarios ad generationem, sed duntaxat factos melioris gratia, ut motum seminis faciant stabiliorem, & vasis intortis appensi illa contineant, amplioraque & patentiora reddant, non se-

cus atque pondera telis textorum appendi solent: quare iis exsectis vasa retrahi, implicari ac corrugari, vias eorum occludi, semen amplius effundi non posse, ac propterea castrata animalia sterilia esse iudicat.

Videtur nobis magnum philosophum sibi in hoc capite contradicere, nam primo dicit Testes non esse necessarios ad generationem, & postea dicit exsectis Testibus animalia sterilia esse.

Quod autem ad Seminis generationem necessarii non sint, tribus rationibus probat: I. quia multa animalia, inter quæ pisces & serpentes recenset, testibus carent, quæ tamen coeunt & prolificum semen emittunt. II. quia Taurus quidam statim à castratione vaccam iniit, eamque imprægnavit. III. quia Testes nullam partem meatuum complent, hoc est ut *Laurentius* interpretatur, nullam cum vasis spermaticis communitatem habent.

Contra hanc *Aristotelis* sententiam

Gale-

Galenus acriter insurgit & *Aristotelem* telis sequentibus adoritur: Testibus refrigeratis aut collisis, aut induratis, aut alio aliquo vitio divexatis, sterilia fiunt animalia, etiamsi ponderum instar seminaria vasa deorsum trahant.

Aliud argumentum est ab avibus & aliis animalibus peti- tum, quæ Testes in cavitate abdominis habent, lumbari regioni affixos, vel alio in loco sitos, ita ut ponderum instar vasa spermatica deorsum trahere non possint.

Præter argumenta à Galeno in medium allata *Aristotelis* rationibus optime responderi posse judicamus & quidem ad primam, dicendo in perfectioribus animalibus Testes solummodo necessarios esse, in imperfectioribus vero Testiculorum analogum quoddam sufficere, quo dicta ab eo animalia gaudent. Ad secundam ejus rationem respondendo semen, quod in actu Venereo emittitur, non immediate provenire à Testibus, sed à vesiculis seminariis & vasis deferenti-

bus, quæ circa finem suum vesicularum instar dilatantur, in quibus cavitatibus semen ordinario in tanta quantitate conservatur, ut ad generationem unam aut alteram sufficiat; ergo non sequitur inde, Testes ad generationem inidoneos esse, quemadmodum *Aristoteles* voluit. Ad tertium argumentum nihil respondendum nobis videtur, quia ex superius proposita dissecandi methodo contrarium ejus clare cognoscitur.

Everſâ eorum sententiâ, qui Testes generationi seminis inidoneos esse existimant, progrediamur ad eos, qui priori sententiæ contrarium sustinent, ut videamus, an meliori ratione suam confirmare sententiam valeant.

Plurimos profecto videmus pro Testibus, tamquam pro aris & focus, pugnare, sed qua ratione semen in illis conficiatur, tam diversimodè exponunt, ut plane præsumptio sit ipsos nihil ex vero dicere.

Reperiuntur primo, qui arbitran-
tur

tur Testes feminis generationi infer-
vire, quatenus serofos humores ad se
trahunt. Contra quos plurimum in-
dignatur *Galenus*, qui illos inter partes
principes collocat, non eas quidem,
quæ ad generationem individui refe-
runtur, sed quæ ad speciei perpetui-
tatem spectant: idque propterea, quia
uti ex jam dictis patet, & inferius di-
cendis clarius patebit, semen princi-
paliter efficiunt, sine quo continuatio
speciei fieri non potest. Præterea pro-
pter mutationes, quas præstant in
corpore, si excendantur, eos ipsi
Cordi præfert.

Sed futilitas horum non minus, quam
illorum, qui Testes, instar pulvina-
rium, & molliorum substerniculorum,
tantum vasa fulcire sentiunt, ex iis,
quæ superius de testibus dicta sunt,
tam conspicua est, ut nulla improba-
tione indigeat.

Tolerabilior sane est eorum senten-
tia, qui censent semen in ipsis Testibus
confici, quod probant observatione

sequenti: Hispanus quidam, ut refert *Dodonæus*, Testis dolore intolerabili diu vexatus, frustra tentatis omnibus remediis, maluit sibi amputari Testem integrum & incorruptum, quam diutius vitam in tormentis trahere; extractum testem cum adhuc calentem per medium dissecaret, in faciem ipsius erupit & profiliit semen.

Similia fere cum referant adhuc plures alii, qui circumstantiis suis rem magis tenebris involvunt, quam dilucidant, ea addemus, quæ circa illam materiam notatu digna observare nobis licuit: in cane, cujus vas semen deferens ante coitum firmissime (alias enim facile semen effluit) ligaveramus, vidimus patrato coitu vascula Seminaria Testium, Epididymidumque ita Semine turgere, ut in magnam molem distenderentur Testiculi. Idem quin ab accurate attendentibus in animalibus salacioribus observari possit, non est quod dubitemus, quandoquidem aliquoties in glirium Testiculis conspeximus.

Ex

Ex jam enarratis observationibus perspicuum est, Semen in Testibus confici, in quo nobiscum conveniunt ex accuratioribus naturæ indagatoribus non pauci; at qua ratione id contingat, tam diversimode exponunt, ut quid sentiendum sit merito dubitare possimus.

Qui videntur hic palmam ferre, ajunt Seminis causam efficientem esse parenchyma Testium, idque ob temperamentum calidum & humidum, cum huic carni similis alia, ut ajunt, in toto corpore non reperiatur. Quibus verbis multum dixisse videntur, cum tamen, si rem penitus inspiciamus, eos nihil dixisse reperiamus; quia non explicant, utrum ex lymphæ vel sanguine Seminalis materia conficiatur, sed de eo adhuc acriter inter se disputant: Prioris opinionis strenuissimus propugnator est amicissimus noster *Bilsius*, uti hoc ante aliquot dies satis superque cognovimus ex disputatione particulari, quam cum ipso habuimus

Hagæ-Comitis in ædibus expertissimi
D. *J. Stalpert van der Wiel*, Anatomici
Hagiensis.

Cum statuat subtilissimus hic Anatomicus, præter Semen etiam Lac, Lachrymas, Salivam, &c. ex Lympha & non ex Sanguine generari, operæ pretium fore existimamus, ut quid per Lympham intelligat explicemus; præsertim cum in vocis illius significatione ab omnibus Anatomicis differat.

Cum ante duos circiter annos à D. *Frederico Ruysch* Anatomico Amstelodamensi *Bilsio* demonstrarentur valvulæ vasorum Lymphaticorum, suo situ impediētes, ne aliquid per eorum cavitatem internam à centro ad circumferentiam excurrat, necessitate coactus *Bilsius*, ut sententiam suam sustineret, paucissimis quibusdam lineis explicuit ac divulgavit, quid per lympham intelligeret: quod ut melius capere possitis, duo hic imprimis monenda sunt, Primo ipsum existimare
vasa

vasa lymphatica multiplicibus gaude-
re tunicis, & inter illarum duplicaturas
liquorem posse transire. Secundo ip-
sum docere non omnem chylum, qui
per venas lacteas ad glandulas mesen-
terii affluit, ulterius per Ductum tho-
racicum ad Cor pergere, sed maxima
ac subtiliori sui parte inter duplicatu-
ras Venarum, Arteriarum, Vasorum
Lymphaticorum atque Membrana-
rum ad omnes corporis partes ex-
currere. Quæ vero inter duplicaturas
vasorum Lymphaticorum transit ad
glandulas, ab ipso Lympha nomina-
tur, & quæ per internam vasorum
Lymphaticorum cavitatem à glandu-
lis redit, apud ipsum Fermenti nomi-
ne venit.

Unde liquet aliorum Anatomico-
rum Lympham ipsi Fermentum appel-
lari, & ipsius Lympham esse novum
quid ab aliis Anatomicis ne quidem
per somnium excogitatum.

Sed cum nostri oculi nunquam fue-
rint tam lyncei, neque manus tam dex-
træ,

træ, ut dictam vasorum Lymphaticorum duplicaturam, dissectione aut ligaturis, potuerimus cognoscere, ignoscet spero nobis D. *Bilsius*, si necdum in ipsius castra transeamus, quod libentissime facturos ipsi promissimus, si autopsia Lympham suam & ejus motum demonstraverit; sed cum id sibi licitum non esse dicat, & nos nulla argumenta videamus, quæ ejus sententiam satis probant, cum aliis Anatomicis nostri sæculi præstantissimis, sustinere pergimus, nihil per vasa Lymphatica à centro ad circumferentiam excurrere.

Quod cum ita sit, constat tantum esse duo vasorum genera, quæ aliquid ad Testes adferant, sc. Arterias & Nervos, & ex iis necessario Seminalem materiam quærendam & inveniendam esse.

Ex Nervis tantam materiam Seminis provenire cum rationibus nullis probari possit, dicendum necessario est Semen generari ex Sanguine, quemadmodum nobiscum plerique sentiunt

Anato-

Anatomici: sed non explicant, qua ratione vasa sanguinea per Testes spargantur, nec quibus in locis jam confectum Semen contineatur, nec per quæ loca deinde excernatur. Si dicant eorum aliqui vasa sanguinea, quæ per Testes subintrant, hiare in vasorum substantiam: esto, desinant, hient quædam à sanguineis deducta vasa in Testes, & deponant in eam materiam Seminis: cocta quomodo ingredietur in vas Semen deferens? altum hic apud eos silentium est.

Nos autem existimamus primo duplici ratione Semen ex Sanguine confici, scilicet vel quatenus vasa sanguinea cum vasculis seminariis continuitatem habeant, uti *Lindanus in med. physiolog. cap. VII. §. 31. de testibus* annuere videtur, dum dicit: *jam vero autopsia demonstrat arterias omnesque adeunt testes per ipsos tendere atque ita non deponere in testium substantiam, sed transvehere tantum id quod vehunt.* vel quatenus arteriæ quæ vascula seminaria

naria in amplexu suo firmissime detinent, in eorum cavitatem materiam subtiliorem deponunt, crassiore per Venas redeunte.

○ Priori ex duobus jam dictis modis non fieri Seminis generationem, cuique patere potest: cognoscent illi, qui arteriarum præparantium propagines per Testiculorum substantiam rite prosequuntur, nam eas decuplo minores ipsis vasculis seminariis reperient; quod nobis evidentissimum argumentum est, hæc vascula seminaria ab arteriis non provenire: quod adhuc alio argumento probatur, scilicet, si arteriæ præparantes cum vasculis seminariis continuæ essent, & sanguis in illis longissimis ductibus sensim ex sanguine rubicundo in Semen album converteretur, necessario in vasculorum seminariarum principio sive arteriarum extremitatibus color rutilus, hoc est ex albo rubescente conspiceretur, sed in omnibus illis vasculis materia albicans vel aquosa & nullo modo sanguinolenta

volenta reperitur: ergo.

Quicumque arteriarum præparantium propagines, uti jam statim diximus, examinare pro impossibili judicant, & libenter prius autopsiâ convincerentur, antequam nostræ opinioni calculum apponant, assignabo illis facillimum hoc examinandi modum: Accipiant Testiculos gliris majoris & insequantur arteriam præparantem, quæ sub tunica albuginea per Testiculorum dorsum, primo simplici, rectoque ductu incedit, & in reditu per anteriorem Testiculi partem flexuoso ductu admodum eleganter repit versus Testiculi partem anteriorem, ubi, tunicam albugineam derelinquens, in multos ramos dividitur, qui hinc atque illinc excurrentes vascula feminarum minutissimis & pene visum fugientibus propaginibus suis in amplexu detinent, atque nullatenus constituunt; uti hoc clare conspicitur, si dictorum Testiculorum vascula à tunica albuginea liberata supra asserem à

se

se invicem extendantur, quod absque labore aut difficultate ab ipsis lippis & tonforibus peragi quam facillime potest. Ut arteriarum præparantium ramificationes recte conspiciantur, sanguis in illis quantum possibile est detinendus vel alius liquor coloratus beneficio syringæ in eas leniter impellendus est, alias visus aciem effugiunt.

Cum itaque modo jam refutato non fiat Seminis ex Sanguine generatio, necessario, cum nullo mentis acumine tertium excogitare possimus, secundo superius allegato modo contingit; & haut aliter arteriæ præparantes in vascula seminaria materiam seminis deponunt, quam arterias hepaticas ductus hepaticos simili modo amplectentes materiam bilis in eorum cavitate exonerare credimus.

Subtiliori sanguinis parti & generationi Seminis idoneæ in vasculis seminariis depositæ, sese adjungunt, communi Anatomicorum consensu, Spiritus animales; licet nemo eorum unquam

unquam descripserit quomodo sese habeant nervi ad Vascula Seminaria, jam statim à nobis descripta, quod ingenue fatemur nos pariter adhuc ignorare. Si tamen suspicionibus hic habendus sit locus (quemadmodum in rebus cognitu difficilioribus haberi potest) existimamus, illos per tenuissimas Testiculorum membranas, quæ vasa interne in suo cursu confirmant, excurrere, imo forsan hanc membranam componere, & eâ mediante Spiritus Animales in Vasculis Seminariis deponere.

Spiritus Animales cum parte subtiliore sanguinis juncti per vasculorum Seminariorum ductus simul excurrunt ad Epididymides, Vasa Deferentia, & sic porro per Penem in locum à Deo O. M. receptioni feminis ordinatum.

Interea temporis, quo Seminalis materia per longissimos Testiculorum ductus propellitur, in eorum cavitatibus ita elaboratur, ut, quæ in testibus aquea & cinericea existerat, in Epidy-
F
midi-

midibus lactea & crassa evadat.

Quæ feminalis materiæ elaboratio nostro iudicio contingit, quatenus partes aqueæ ab illa separantur, spiritusque plures ei admiscuntur, qui materiam feminis per vascula sua excurrentem magis spumescere facientes ei ultimam perfectionem largiuntur, quod *Hippocratem* similiter intellexisse credimus, dum dicit spumam esse de essentia seminis.

Quâ autem ratione aquosiores partes à feminali materia in vasculis nostris separentur, necdum diximus, sed duobus modis id fieri posse mentis oculis percipimus. Primo si aquosiores particulæ ex vasculis feminariis exhalantes inter eorum interstitia rursus condensatæ ab hiantibus vasorum Lymphaticorum, copiosissimè per tunicam albugineam excurrentium, oculis excipiantur. Secundo si vasa Lymphatica se habeant ad vascula feminaria, quemadmodum se habent vasa lactea ad intestina, commodissi-

me ex

me ex iis partes aquosiores haurire poterunt.

Atque sic singulorum vasorum in Testibus hactenus reperorum usum explicuimus; antequam tamen ulterius progrediamur, lubet hic occurrere desiderio quorundam, qui optant scire quomodo semen lactescat, quod ex sanguine tam rubicundo habet originem, dicendo primo, illud non majori admiratione dignum esse, quam quod lac, quod ex herbis virescentibus originem trahit, albescat. Secundo in corpore nostro diversorum humorum colores ratione viscerum, in quibus humores illi separantur, elaboranturque exsurgere verbi gratia flavum in bile, virescentem vel nigricantem in atrabile dicta, & limpidum in variis glandularum excrementis; sed ut propius ad rem accedamus, dicemus ipsum sanguinem absque elaboratione notabili ex rubicundo colore aliquando in album mutari, uti ex historia sequenti patebit.

Henricus van Bueren Coëtoris cerevisiarii Delphensis famulus, vir robustus ac vegetus, ante duos circiter annos cum dimidio sibi venam aperiri jussit, ex qua sanguis colore rubicundo fortiter erumpens statim in lac abiit, idque tribus diebus consequenter; quæ cum res sit visu dignissima, rogavimus Clarissimum Dominum *Valensem*, qui ipsi, cum necesse sit, medicinam factitat, ut, cum iterum ipsi vena incideretur, cum aliis Medicis nos etiam ad spectaculum admitteret: petitioni nostræ satisfecit vir curiosissimus, atque præterito mense Junii, cum partim propter plethoram, partim propter curiositatem ipsi vena in brachio à *D. Loquet*, hujus Civitatis Chirurgo, rursus aperiretur, vidimus, quod statim collecti ac concreti sanguinis serositas universa (quæ ipsi copiosa supernatabat) in lac abiit; illa inquam verum lac colore ac consistentia referebat, sanguinis massa in summo florida, in imo nigrior extitit:

titit: placuit nobis intincto digito guttulam degustare, sed hujus sapor longe magis nobis placuit, quam lactis illius, quod ex femore effluxum nobis in congregatione sua exhibuit Celeberrimus quondam Reginæ Sueciæ, nunc Principis Condæi Archiater dignissimus Dominus *Burdelotus*, vir optime de me meritis, mihi que litterarum commercio intime conjunctus, nam illud habebat saporem purulentum, & huic dulcedinis non ingrati quidquam inesse animadvertimus. Serum hoc lacteum à Curiosissimo D. *Gravesande* in nostra præsentia ulterius examinatum ab affuso aceto grumescebat, & ab affuso ei spiritu vitrioli instar casei concrefcebat, idque tam fortiter, ut ne guttula quidem inconcreta seorsim ab illa reperiretur. Retulit nobis superius memoratus *Henricus van Buren* suum sanguinem, sive è naribus, sive ex parte quadam læsa effluentem semper lactescere, quod adhuc magis miraremur, si non legisse-

mus similem casum in *Marcello Donato de Medicina mirabili lib. I. c. IV.* quem citat *Bartholinus in spicilegio primo ex vasis lymphaticis cap. VI.* ex quo patet colorem rubrum solummodo dependere à particularum dispositione & tantum esse accidentarium sanguini.

Hoc exemplum propterea adhuc libentius apponere voluimus, ex eo quod sanguis ipse in lac abiret, quod nos tantum prætendimus de subtiliori sanguinis parte postquam per longissimum vasculorum seminariorum ductum transivit: nam evidentissimis freti experimentis constanter asseveramus Semen in vasculis seminariis tantum colorem cinericeum adipisci & in Epididymidibus sensim magis magisque albescere, ita ut in Vasis deferentibus perfecte album conspiciatur, quemadmodum nuper in experimentis superius de cane & gliribus citatis, cum primariis hujus civitatis practicis conspeximus.

Hinc patet vasculorum nostrorum,
Epidi-

Epididymidum & Deferentium longissimos ductus, primario à studiosissima rerum Natura conformatos esse, ut seminalis materia diuturniori mora ac transitu melius elaboraretur: & quemadmodum intestina habent gyros, primâ quidem & principalissimâ ratione, ut chyli per vasa mesaraica distributio sit quam foelicissima, & minus principalis, ut in illa mora magis perficiatur chylus, ita vascula Testiculorum semen conficientia esse tantopere involuta, propter unam & solam causam, ut semen melius concoquatur, atque, ut cum *Aristotele* loquar, spumescat, alboremque majorem contrahat.

Semen itaque tam in Testibus, quam in Epididymidibus jam memorato modo confectum, ulterius excurrit per vasa semen deferentia, quæ à testibus sensim ascendunt in cavitatem abdominis & intrant per idem foramen, per quod vasa præparantia exierant, ubi versus posteriora vesicæ reflexa

veluti in quasdam capsulas dilatantur, & postea rursus coarctantur atque angusto exitu in principio vesicularum feminariarum terminantur; quorum finem haud difficilius subire, quam per orificia in Urethram exire semen potest.

Hoc si clare atque distincte cognoscere cupiatis, immittatis solummodo tubulum in vas semen deferens, quod si vel flatu vel liquore aliquo, beneficio Syringæ, distendatur, observabitis citius vesiculas feminarias distendi, quam quidquam per foramen in urethram erumpere.

Hinc patet lapsus eorum, qui dicunt vasa semen deferentia nullam omnino cum vesiculis feminariis communionem habere, & toto cœlo ab iis differre, ac per duo peculiaria foramina sese exonerare intra urethram, distincta ab iis, per quæ materia seminalis ex vesiculis erumpit.

Miror profecto viros egregios in re tam perspicua adhuc falli posse: si ver-
bis

bis meis non credant, neque subiectum humanum ad manus habeant, veniant quæso ad ædes nostras & illis omni tempore luce meridiana clarius demonstrabimus vasa deferentia cum vesiculis seminariis maximum habere commercium, idque non in brutorum, sed in virorum diversorum organis, quæ inflata & exsiccata in museo nostro nobis semper conservamus.

Exeunt itaque cum vesiculis seminariis uno eodemque foramine vasorum deferentium extremitates in utroque latere ita, ut nullum inter se mutuum commercium obtineant partes dextræ cum sinistris, mediante quo simul communicare queant: nam quod à testiculo, vesiculaque dextra prodit semen, diverso in loco exit ab eo, quod à sinistris affluit.

Diximus diverso in loco erumpere in Urethram semen, quod à dextris, quam quod à sinistris affluit, idque non aliam ob causam contingere existima-

mus, quam ut necessaria adeo hominis generatio eo exactius perageretur, nam nisi quodam interstitio à se invicem divisæ essent partes dextræ à sinistris, læsa una ex vesiculis (quemadmodum ex accurata partium inspectione semper in lithotomia fieri necesse est) plerique post lithotomiam steriles existerent, quod cum videret prudentissimus atque sapientissimus rerum conditor, voluit illas partes à se invicem separare, ut una parte læsa, altera suo munere fungeretur, quemadmodum in oculis, auribus, aliisque partibus necessariis contingere observamus.

○ Locus, ubi hæc vasa seminaria toties nominata determinantur, est in Urethra, fere digito transverso sub collo vesicæ. Ne autem perpetuo ex illis semen extillet hominesque in seriis occupationibus interturbet, caruncula impedit, quæ vasorum illorum oscula obturat, neurina in urethram effusa influat in vasa seminaria, vel ne
nobis

nobis invitis semen effundatur. Hæc caruncula ab ignavis chirurgis cathetere deprehensa cum renilu pro carnositate habetur & causticis erosa atque consumpta perpetuam parit gonorrhœam, nullis medicamentis curandam.

Hæc omnia ut clare atque distincte conspiciantur, aperire debetis anteriorem vesicæ partem cum ipsa Urethra, & immittere tubulum in vasa semen deferentia utrinque unum, iisque uni post alterum adaptare Syringam à nobis superius depictam, ut liquor aliquis per illos propelli possit; & videbitis statim, ac in dextri lateris vas semen deferens liquorem propellitis, ejusdem lateris Vesiculam distendi; & si ulterius liquorem impellatis, videbitis, grato admodum spectaculo, eum instar fonticuli eodem in latere fortiter erumpere: & idem observari poterit, si alterius lateris tubulo Syringa affigatur, similique modo procedatur.

Vesi-

Vesiculæ seminariæ situm obtinent interveticam urinariam & Intestinum rectum, ubi membranis quam plurimis ad collum vesicæ aliisque partibus circumjacentibus ita annectuntur, ut quasi in æquilibrio pendere conspiciantur. Mirum itaque non est, uti aliqui à se observatum testantur, ab enematum calidorum injectione aliquando seminalem materiam per pudenda effluxisse: quia facilè vesiculæ seminariæ, utpote intestino vicinæ, à calore vehementiore ita afficiuntur, ut semen ex cavitate sua in Urethram propellant.

Constant ex membrana satis tenui, per quam variæ Arteriarum, Venarum, Nervorum & dubio procul Vasorum Lymphaticorum ramificationes excurrunt.

Figuram quod attinet, nihil invenimus, cum quo eas magis assimilare possimus, quam cum avium minorum intestino variis modis contorto, nisi quod hinc inde varicum ad instar mi-
rum

rum in modum dilatatae & in interna cavitate rursus contractae conspiciantur.

Longitudinem ordinario habent trium vel quatuor digitorum transversorum, & in uno saepe latere, quam in altero majorem.

Latitudinem vero pollicis transversi obtinent, non tamen ubique aequaliter excurrentem; in una enim, quam in altera parte magis coarctantur, uti hoc ex adjunctis figuris clare patet.

Craffitiis est circiter tertia pars digiti transversi: & in una major, in altera vero minor observatur.

Cavitas interior si inspiciatur, eam variis in locis dilatatam ac coarctatam reperiens, non ita tamen, quin inflato principio totum corpus dictum factum intumescat.

Usus Vesicularum seminariarum est, Semen recipere & pro futuro coitu reservare: tali enim modo sitae sunt, ut cum via in urethram non pateat, necessario semen à Testibus affluens earum
cavi-

cavitatem subire teneatur, quemadmodum superius satis sufficienter docuimus.

In vesiculis illis semen contineri patet, quoniam iis compressis statim semen in Urethram effluit, item si dissecentur, semen in illis reperies: Natura autem (ut cum Fallopio loquar) mirum in modum appetens conservationem humanæ speciei, non quasdam statas constitutiones, aut tempora ordinavit, quibus uti multa alia bruta tantum coitum appeterent: sed omnes tempestates, omnesque horas aptas, ac oportunas esse voluit ad Veneris usum atque ad procreandos liberos: id autem fieri non potest nisi in dictis vesiculis coacervaretur semen, nam per longissimos testiculorum, epididymidum & vasorum deferentium ductus tam exiguo temporis spatio, quo Veneri incumbit homo tantum feminis, quantum ad generationem necessarium est, transire neutiquam posset: hinc provenire existimamus
quod

quod canes, qui Vesiculas feminarias non habent, beneficio alicujus excrescentiæ spongiosæ, circum penis ossiculum tempore coitus intumefactæ, in coitu detineantur, donec sufficiens quantitas seminis ad generationem necessaria per Vasa deferentia à Testibus affluat; idem profecto si hominibus contingeret, sane majori cum metu illicitos concubitus peragerent.

Videtis igitur harum vesicularum utilitatem, videtis usum, contra quem videmur nobis quosdam audire dicentes, eas non semini recipiendo, sed generando destinatas esse, quod à veritate alienum existimamus propter rationes sequentes: primo, quia ita dispositæ sunt, ut semen per vasa deferentia affluens, & viam in Urethram per carunculam clausam inveniens, necessario debeat redire in earum cavitationem, ibique asservari, donec opportuno tempore & loco excernatur. Secundo, quia vesiculæ feminales substantiam habent tenuem, membranaceam,

ceam, & nullis glandulis visibilibus, ductibus aut aliis instrumentis feminis generationi idoneis præditam, uti id omni tempore ostendemus, qui non cavillandi, sed discendi studio aliquando ad ædes nostras accedent, idque in diversis vesiculis humanis, quas inter rariora in museo nostro inflatas & exsiccatas eum in finem conservamus.

Ex dictis patet probabile non esse, Naturam tam parvo apparatu tantæ rei generationem moliri, nisi dicamus tam vasculorum seminariorum, Epididymidum, quam deferentium longissimos ductus frustra creatos esse, qui uti superius diximus nullum alium finem respiciunt, quam feminis generationem.

Sed quoniam hic feminis generandi usus assignatus est ab iis, qui mirabilem Vasculorum nostrorum structuram ignorarunt, non putamus aliquem fore à recta ratione ita alienum, qui visis & perpensis iis, quæ superius admonuimus

nuimus impostherum, hisce receptaculis feminis conficiendi vim & efficaciam adscribere tentabit.

Si tamen aliqui nostris rationibus necdum contenti nobis objiciant, Primo non dari motum contrarium in una eademque parte, ac proinde per eandem viam semen non posse intrare in vesiculas feminales, per quas cum necesse sit expellitur. Secundo, semen plerumque diversum reperiri in vesiculis ab eo quod ex deferentibus vasis exprimitur: ac proinde à Testibus non affluere, sed in vesiculis generari. Tertio, fuisse homines Testibus carentes, qui nihilominus vesiculas seminarias post mortem semine repletas habebant, uti ex *Cabrolii* exemplo superius allegato convincitur: ac in iis saltem necessario semen in vesiculis seminariis genitum fuisse.

Horum difficultatibus ut ordine fiat satis, respondebimus ad primam objectionem, motum sibi contrarium in una cavitate uno eodemque tempore

difficiliter posse contingere, sed successive (quemadmodum in Vesiculis feminariis id fieri prætendimus) absque minima difficultate peragi. Et an non uno eodemque tempore in Intestino cæco, quod in plerisque avibus in ingentem longitudinem extenditur, & plerumque geminum observatur, motus ille contrarius contingat, vehementer dubitamus: non quidem quo ad contentorum partes quæ extrinsece sibi mutuo contrariari videntur, intrinsece tamen certo quodam ordine procedunt, quemadmodum quotidie observamus Parisiis, Amstelodami & in aliis populosis urbibus, in plateis homines sibi mutuo turmatim contrariari absque quod una turma alteram in suo cursu impediat, scilicet quatenus una ab una, alia ab altera parte plateæ contraria via incedit: & simile quid in avium Intestino cæco contingere debere firmiter à nobis creditum est, postquam illud semper fœcibus repletum observavimus.

Ad Secundum argumentum à diversitate seminis petatum, dicemus solummodo, licet id verum esset, equidem nihil concludere; quia contingere potest, ut in mora sua colore vel consistencia parum immutetur.

Ad Tertium argumentum ex observatione *Cabrolii* desumptum; respondebimus ex *Cabrolii* historia superius, cum de numero testium ageremus, à nobis memorata, non posse concludi semen generari in vesiculis seminariis; quia in eodem capite respondens ad objectionem de eunuchis, dicit iis vasa præparantia, & deferentia exacta esse, eoque minus mirum si soluta cellularum continuitate nihil iis invehatur. Putat enim *Cabrolius* in Prostatis vasorumque labyrinthæis anfractibus, elaborationis seminis principia jaci, & ea demum in Prostatibus perfici, perfectumque semen hinc inde cellulis octonis novenisque, quarum singulæ venereum unum testum (ut ait) ubi conflixeris, emittant,

contineri: non ergo ex hac observatione constat semen in vesiculis illis generari, quod ipse, hujus observationis author *Cabrolius*, uti ex ipsius verbis patet, sustinere non ausus est.

Quod autem *Riolanus lib. II. c. XXXI.* exemplum refert, se in juvene 25. annos nato tantum unum Testiculum offendisse, & nihilominus in utroque latere vasa ejaculatoria, quæ cum deferentibus connectebantur, semine repleta offendisse, nihil pariter contra nostram sententiam concludere animadvertetis, præsertim si attendatis vasa deferentia adfuisse, quæ sine dubio cum analogo quodam Testiculorum connexa fuere; sed utrum illud semen absque Testibus, ut ajunt, confectum generationi idoneum sit, vehementer dubitamus: præsertim cum illud supra dictorum authorum observationibus non sit confirmatum.

Quid igitur de Semine absque Testibus confecto dicendum sit paucis proponemus: illud semen ex monstroso

strofo Naturæ cursu in analogo quodam Testium confectum generationi idoneum existere nunquam credemus, quandoquidem Natura tanto molimine Testium corpus non confirmasset, si tam exiguo apparatu seminis generatio posset peragi: frustra cum fiat per plura, quod potest per pauciora contingere.

Solutis difficultatibus, quas contra nostram sententiam allatas unquam audivimus, concludimus vesiculas seminarias neutiquam generationi sed receptioni seminis à Deo O. M. ordinatas esse: quod sustinebimus tam diu donec melius nos edocere cuiquam placuerit.

Ex jam allatis rationibus atque experimentis liquide constat, præter semen quod à Testibus provenit, alterum non dari, nisi illud à Prostatibus affluerit: de qua re ut etiam iudicium vestrum ferre possitis, earum Nomina, Situm, Figuram, Magnitudinem atque Vasa, quibus gaudent, suo ordine

ad incudem revocabimus.

Prostatæ quasi adstantes à veteribus appellatæ, nihil aliud sunt quam corpus spongiosum variis glandulis infarctum, quapropter cum Vesalio illud, glandosum corpus imposterum appellabimus.

Magnitudinem habet instar majoris nucis juglandis, minus est in senibus & iis qui Veneri multum non sunt addicti, majus vero in salacioribus statim ante vel post coitum interfectis, illo enim tempore spongiosa hujus corporis pars ita turget seroso quodam liquore ut mirum in modum distendatur: pars ejus interior si simul inspiciatur, multæ quasi hydatides in spongiosa ejus cavitate reperientur, sese in ductus illos, qui in Urethram terminantur compressæ, exonerantes.

Substantiam habent duplicem, Glandulosam scilicet & Spongiosam, quæ undique robustissimâ quadam membranâ involvitur, quæ multas fibras carneas à vesica Urinaria proveni-

nientes obtinet, primario in hunc finem, ut corpus illud dum necesse est promptius constringatur, ad expellendum humorem in dicto corpore à sanguine separatum: in quem finem autem id fiat postea dicemus.

Situm, ad humillimam Vesicæ partem, ipsiusque cervicis initium obtinet, per cujus medium transeunt vaporum deferentium & vesicularum seminalium communes ductus, qui ad ejus ingressum coarctari attenuarique incipiunt, donec tandem subtilissimis duobus ductibus simul copulatis in Urethram separatim, ut dictum, terminentur.

Figura Corporis glandosi ad ovalem proxime accedit, nisi quod in superiori parte, quâ vesiculæ feminales intrant, instar infundibuli quasi excavetur, & antèrius atque posterius parum comprimatur.

Vasa si in hoc corpore rite examinentur, omnis fere generis adesse patebit: nam præter Arterias, Venas, &

Nervos, quorum vasorum ramificationes copiose per externam Corporis glandosi superficiem excurrentes atque hinc inde subintrantes conspiciuntur, in interna ejus cavitate plures ductus apparent, qui omnes quotquot sunt ad latera carunculæ magnæ sese in Urethram exonerant, horum orificia exiguis quibusdam carunculis obturantur, ne materia in Corpore glandoso confecta extra veneris actum continuo effluat vel Urina per illos ductus in Corpus eorum influat.

Ductus hos ulterius examinare qui curiosi sunt, expresso prius liquore, quem naturaliter in se continent, tubulum minorem in illos imponant, & flatu si distendantur, eleganter admodum ramificationes suas ostendent, ad quarum latera cavernulæ magnitudine seminis sinapi distinctæ conspiciuntur, quæ inflatis ductibus simul intumescunt; ita ut prima fronte totam hujus corporis substantiam spongiosam, & ex pluribus vesiculis rotundis,

dis, oblongis, & alia insuper figura donatis constare quis facile judicaret.

Vasorum jam descriptorum in Urethram terminantium Numerum quod attinet, in omnibus subjectis non eundem reperietis, non tamen meminimus nos in homine pauciores 10. invenisse: in canibus vero aliquando 90. & plures numeravimus, per quos materia serosa ex Glandoso hoc corpore dum comprimeretur, copiose promanaret.

Quod in hisce ductibus notatu dignum occurrit, est, quod in illis nulla sit communicatio qua mediante ex uno in alterum ductum erumpit flatus, quia ita à se invicem distinguuntur, ut inflato uno ductu tantum pars aliqua Corporis Glandosi distendatur, & inflato altero ductu altera ejus pars intumescat, ita ut in tot classes distingui possit Corporis glandosi substantia quot ductus in eo reperiantur.

Si singuli Corporis glandosi ductus flatu distendantur ligenturque, totum

hoc corpus mirum in modum dilatatur, quod si ita flatu distentum exsicceetur, omnino spongiosum apparebit, quia glandulæ, quæ primario circa ejus superficiem reperiuntur, inter exsiccandum evanescent.

Glandosi corporis Usus semper multorum fatigavit ingenia, quoniam de eo non magis conveniunt inter se Anatomici quam de Testium aliorumque corporum superius enarratorum usu. 1. Aliqui existimant elaborare ulterius semen à Testibus affluens. 2. Alii voluerunt in illo à sanguine discerni humorem acrem serosum, ad titillationem sive voluptatem majorem in veneris actu excitandam. 3. Alii è contra sustinuerunt illud producere humorem ad Urethram oblinendam & humectandam, ne ab Urinæ vel Seminis acrimonia lædatur, vel exsiccata inter se concidat. 4. Alii denique semen in illo generari acriter defendunt.

Primam opinionem quod attinet,
illam

illam nulla probilitate gaudere animadvertent ii, qui vel parum in Anatomicis versati, manum operi adhibuerint; nam deberet tunc inter Vasa Deferentia & Corpus glandosum talis communicatio existere, ut ab his in illud meatus quidam existerent, sed hoc non contingit, ergo non ulterius præparatur in Corpore glandoso semen à Testibus affluens. Probatur minor sequenti experimento, ablatâ vesicâ difsecetur per medium secundum ejus longitudinem Corpus glandosum dictum, & vasorum deferentium atque vesicularum ductus usque ad eorum in urethram exitum prosequantur, separenturque à corpore glandoso, & immisso tubulo in vasa semen deferentia, si beneficio Syringæ liquor aliquis in eorum cavitates propellatur, dictum factum cum ipsis vasis deferentibus vesiculæ seminales intumescunt, liquore fortiter per foramina in urethram effluente, quæ si circa exitum in urethram claudantur, nihil ex ductibus

bus eo in loco, ubi Corpori glandoso annexi fuerant, erumpet, licet fortiter distendantur vasa seminaria, quod necessario contingeret si cum corpore glandoso mutuam obtinerent commercium.

Secundæ opinionis propugnatores, qui in eo humorem quemdam serosum & acrem ad titillationem excitandam gigni credunt, toto cœlo nobis errare videntur; quandoquidem si ad gustus tribunal revocetur, nulla in ejus liquore acrimonia reperietur.

Tertia opinio eorum, qui in corpore glandoso humorem gigni vel fecerari arbitrantur, eatenus quidem non errant, sed dum illum primario ad obliendas & humectandas vias urinarias factum volunt, nostro judicio erroris sunt arguendi; cum ad hoc non requireretur tantus apparatus, utpote cum innumerabiles viæ, quæ per totum urethræ ductum, præsertim in vitulis aliisque animalibus grandioribus, conspiciuntur, ad humectandam urethram

thram satis multum liquoris possint adferre.

Quarta opinio quæ dicit corpus hoc seminis generationi inservire, non videtur etiam nobis rem acu tetigisse, licet id necessario fieri debere existiment, propterea quod animalia castrata semen aliquod emittant: sed quis est qui non videt claudicare primariam hujus opinionis rationem? quomodo quæso ostendent materiam quæ in illo coitu excernitur semen esse, nisi primo probaverint in coitu nihil præter semen excerni posse? quod si præstiterint, apud nos & alios profecto gratiam inibunt, magnique Apollines censebuntur, quoniam firmissime credamus in coitu præter semen adhuc aliam materiam excerni debere, quemadmodum statim dicemus. Sed esto sit semen, sequiturne illud generari in Corpore glandoso? minime gentium. Primo quia illud à vesiculis seminariis affluere potest, præsertim si illæ ante Testiculorum ablationem semine turgent.

geant. Secundo quia etiam à vasis deferentibus, circa eorum finem dilatatis, aliqua quantitas seminis in castratis animalibus ejaculari potest. Tertio quia contingere potest ut tertium testiculum habeant in corpore latentem.

Ex quibus constat tribus adhuc modis generare animalia posse, quibus duo Testiculi castratione ablati sunt: nemo tamen unquam vidit, animalia quæ tantum duos habent Testiculos, illis ablati, diu generationi idonea permanisse: imo experientia comprobatum scimus, Arietes, Tauros, &c. animalia diu post castrationem generationi inidonea existere, quam statim post castrationem feliciter peragebant: cujus rei ratio nobis videtur quod ejaculato vel debilitato semine, in vesiculis vel Deferentibus vasis hærente, aliud à Testibus non rursus suppeditetur.

Secunda ratio ex Whartono desumpta, est semen in illo confici, quia distat

in nonnullis animalibus exitus prostaticarum ab exitu deferentium & vesicularum ad octo pollices. Monstrat Whartonus hac ratione prostaticas sive glandosum corpus semen non accipere à Testibus, sed non sequitur inde illud semen esse, nisi primo probaverit in illo corpore nihil præter semen contineri; quod nunquam fecit, uti ex sequentibus adhuc clarius patebit.

Tertia ratio ob quam semen in hoc corpore generari sustinent, est, quod exiis si premantur, materia aliqua erumpat: sed quis quæso illis dixit vel probavit materiam illam semen esse? nemo profecto præcipue eorum qui illam per autopsiam examinarunt, nam consistentiam habet quam semen aquosiorum, quod optime notavit Galenus lib. XIV. de usu part. cap. IX. & II. de sem. VI. contineri in hoc corpore humorem similem semini sed longe tenuiorem. præter jam allatam differentiam nobis adhuc plurimum differre videtur colore atque odore.

Vident

Vident igitur omnes nullas hactenus assignatas esse rationes, quibus probare possunt materiam in corpore glandoso genitam semen appellari debere. Profecto id in sensum nostrum incidere neutiquam potest, præsertim dum in memoriam revocamus & mirabilem & stupendam Testiculorum Epididymidumque substantiam, nisi eam frustra genitam dicamus, nam uti superius de vesiculis Seminariis etiam diximus, frustra fieret per plura quod potest fieri per pauciora.

Si igitur quisquam à nobis petat, cui rei inserviat humor qui in corpore glandoso & forsan etiam in Vesiculis seminariis secernitur? Respondebimus illos pro menstruo sive vehiculo feminis inservire, ne scilicet seminalis materia antequam ad Uterum perveniat evanescat, vel cum in parva quantitate tantum per duo exigua foramina effluere in Urethram possit, ad uterum non pertingat, atque ideo necessario illos humores cum semine permiscendos

dos judicamus, ut subtilissima & optime elaborata feminis pars iis involvatur, conserveturque ad meliorem speciei propagationem.

Constat itaque id quod in agrum Naturæ inseritur ex duplici materia, quam *Aristoteles* satis eleganter appellat λογόν σπερματικόν κὶ ὄσκον σπερματικόν, quam philosophi vocarent formam & materiam: sic itaque semen, quod à Testibus affluit, hanc materiam inficit, eo fere modo, quo fermentum massam panis: & quando hæc subtilior seminalis materia in Utero à crassiore beneficio Naturæ rursus separatur, atque Uteri poros subit, mirum non est materiâ crassâ effluente, nihil in Uteri cavitate reperiri succedente nihilominus generatione.

Quia autem neque in Corpore glandoso, neque in Vesiculis feminariis, quemadmodum superius probavimus, semen generatur, neque ut generetur necesse est, sequitur clare solummodo esse unam materiam feminis in solis

H

Testibus

Testibus genitam & in Vesiculis asser-
vatam, quæ oportuno tempore & hora
in urethram propellitur, ibique corpo-
ris glandosi humore obvoluta ulterius
in Uterum ejaculatur.

Ut adhuc magis ratiocinationis
pondere premamus illos, qui triplicem
materiam seminis ad generationem
necessariam constituunt, dicemus dari
animalia, quæ naturaliter vesiculis se-
minariis carent, uti superius de cani-
bus id asseruimus, & nihilominus ge-
nerationi capaces existunt, quod non
contingere deberet secundum illorum
sententiam, qui triplicem illam mate-
riam seminis ita necessariam judicant,
ut dicant frustrari vel imperfectiorem
fieri generationem, si una ex illis absit
aut vitiata existat.

Si tales nobis respondeant, illud
tantum in perfectioribus contingere,
& sufficere, ut in homine illa reperian-
tur: illis ipsis eodem argumenti ro-
bore responsum volumus, si forsan in
quibusdam animalibus Vasa deferen-

tia cum Vesiculis seminariis non tam accurate, quam in homine, simul copulentur. Non enim tam necessaria est harum partium copula ad nostram sententiam sustinendam, quam sunt vesiculæ ad illorum sententiam à lapsu erigendam.

Frustra igitur cum multiplicentur entia sine necessitate, manebit tantum una materia feminis, qua sola nos melius omnes difficultates tollere posse nobis firmiter persuasum habemus, quam alii triplici sua materia specie distincta; quapropter non reformidabimus contra illos, licet impari numero ratiocinationis pugnam si placuerit aggredi.

Ne tamen accuratissimi *Whartoni* armis nos aggrediantur, primaria ejus argumenta proponemus, & si possibile id nobis sit, refutabimus. Dicit autem in egregio suo libello *de glandulis cap. xxxi. eo ipso vero quod* (de castratis animalibus loquitur) *in irrito hoc conatu semen aliquod emittant, evidentissimum*
H 2 *est,*

est, esse etiam alias partes seminis generationi dicat *as præter Testiculos. Si autè Vesiculæ seminales & Prostata semen generent; necesse quoque est, tria esse materiæ seminalis genera. Natura enim eidem operi efficiendo partes tam diversæ constitutionis nunquam extruxit. Neque enim fieri potest, ut tanto discrimine se junctæ in eodem munere exequendo conveniant. & parum inferius, Quoniam igitur Natura tria genera partium distinctæ constitutionis generando semini formavit; sequitur, esse tres distinctas species materiæ seminalis à tribus dictis partibus genitas. Videmus partes corporis diversas admodum esse ac dissimiles; quare minus verisimile est, omnes ex una eademque simili materia confici posse.*

Ad hæc argumenta respondemus, Primo, *Whartonum* supponere quod est in quæstione, scilicet semen emitti à castratis animalibus, quod nos optimo jure ipsi negandum judicamus; cum revera non sit semen, quod ab illis
emit-

emittitur, sed tantum menstruum sive vehiculum feminis, quemadmodum superius demonstravimus. Et hoc ejus fundamento destructo triplicis feminis materiæ domicilium necessario corrui.

Secundo, *Whartonum* proprio suo gladio jugulari posse, respondendo; quoniam Natura tria genera partium distinctæ constitutionis formavit, ea nequaquam uni operi, scilicet feminis generationi inservire posse, sed singula diversum speciei productioni usum præstare, qualem superius singulis illis partibus adscripsimus.

Tertio, *Whartonum* male nostro judicio judicare ex partium, quæ ex semine generantur, diversitate, semen quoque diversum reperiri debere; nam tunc in semine arborum, quæ ex pluribus diversis partibus constant, diversa quoque deberent principia sive germina reperiri, quæ ad diversarum illarum partium productionem sufficerent. Et si singulæ totius cor-

poris partes habere deberent diversam feminis materiam, profecto triplex seminalis materia ad corporis constitutionem neutiquam sufficeret.

Sed his diu inhærere operæ pretium non est, quandoquidem judicamus non ex materia illa, quæ ex duplici vel triplici substantia composita in uterum deponitur, & ordinario simplici feminis nomine venit, formari foetus membra; nam non diu post coitum materia illa ex utero rursus elabitur; ita ut, si animalia aliquo tempore post coitum aperiantur, nihil prorsus in eorum utero reperiatur; quod sane fieri deberet, si foetus ex seminali illa materia generaretur, quemadmodum cum *Galeno* quamplurimi crediderunt. Meliori igitur cum ratione judicamus cum *Harvæo* virtutem sive subtiliorem feminis partem in Uteri membranis fermentationem efficere, qua fermentatione postmodum ex Uteri membranis humor aliquis exsudat, qui membrana obvolutus foetus rudimentum continet.

Ex

Ex quibus patet frustra & absque necessitate aut fundamento poni tria distincta materiæ seminalis genera; quandoquidem unius aura sive pars subtilior totius generationis negotium quam felicissime absolvere possit.

Explicata jam Testiculorum, Vesicularum seminalium, & Glandosi corporis usu, aliquis forsan à nobis petet, quænam ex illis sit sedes Gonorrhœæ? respondebimus illam aliquando in Corpore glandoso, aliquando in Testibus, aliquando vero in utroque simul posse existere.

Quod Corpus glandosum possit esse sedes Gonorrhœæ, probatur primo & quidem hac ratione: si corpus hoc ita afficiatur, ut in eo continuo materia sui generis non solum generetur, sed & continuo excernatur, vocabitur ille fluxus Gonorrhœa, nam inter hanc & Seminis fluxum non solent distinguere Medici aut Chirurghi, nisi quod dicant, unum altero magis virulentum esse. Talem humorum effluxum

posse contingere probatur à Ptyalifmo, Gravedine, &c. nam quemadmodum in illis continuo salivæ vel pituitosæ materiæ copia illarum glandularum vitio excernitur, ita & harum glandularum vitio major tam hujus quam aliorum humorum colluvies excerni posse nihil contrarium suadet.

Quod mirum vobis neutiquam videri debet, quandoquidem sæpenu-mero in praxi contingere videmus, quod ægri medicamento aliquo assumpto veletiam sponte nunc per has nunc per alias vias pravorum humorum totius corporis colluviem deponant, quod etiam in hoc Corpore glandoso locum habere potest, præsertim si venere aut aliqua malignitate debilitatum existat, nam ita se habent humores in corpore nostro, ut latrones in carcere, qui cum erumpere student, non fortiora, sed debiliora primo ag-grediuntur loca, sic etiam pravi humores ad evadendum non robustas, sed debilitatas corporis partes primo afficiunt.

Hanc

Hanc nostram opinionem confirmant adhuc magis exempla eorum, quos per diuturnam equitationem, vel succussionem ab equo, in Gonorrhœam virulentæ persimilem incidisse scribunt; sed talis Gonorrhœa non tam cito vires prosterneat, nec erit tam periculosa, quam illa, quæ à Testibus prodit. sicuti hoc memorabili exemplo probari potest ex *Bartholino*, qui lib. I. Anat. reform. cap. XXIII. refert de quodam Patavii sibi viso, qui ultra annos triginta eo fluxu laboravit cum nullo sanitatis detrimento.

Nec solum ratione, verum etiam experientia probatur Corpus glandosum, ut dictum est, affici posse; experientiâ namque testantur plures sese in cadaveribus eorum, qui Gonorrhœa usque ad mortem infestabantur, illud primario affectum observasse, uti videre est in *Vesalio lib. v. cap. XIII. etenim*, inquit, *in involuntario seminis fluxu laborante, quem Patavii dissecurimus, Corpus hoc glandosum cum divideretur,*

deretur, non minus, quam Testes ipsos, semine oppletum conspeximus; & si verum fatendum est, inter disseccandum in nulla penitus corporis parte, tanta seminis vis unquam, atque in hoc glandoso corpore invenitur, quantumvis id à Testium substantia, mollitie, equalitateque multum variet. Testantur præter Vesalium etiam Bartholinus & alii Glandosum corpus quandoque sedem Gonorrhœæ existere.

Testes quoque; sedem Gonorrhœæ esse, adeo clarum est, ut ii qui in hoc morbo curando operam impendunt, nulla probatione indigeant; ne tamen iis defuisse videamur, qui in hoc morbo curando minus sunt exercitati, unum atque alterum argumentum in medium proferemus: frequenter accidit ex repentina aut intempestiva Gonorrhœæ suppressione, à potenter astringentibus facta, ipsos Testiculos in ingentem magnitudinem, ut aliquando vidimus, excrescere; quod contingere neutiquam posset, nisi ex parte se-

des

des Gonorrhœæ forent.

Idem probatur ex eo, quod fœminæ, quæ Prostatibus destituuntur, aliquando, licet rarius quam viri, Gonorrhœa laborent, quæ in illis procul dubio à Testibus (cum careant aliis organis semini conficiendo idoneis) provenit.

Diximus statim Testiculos aliquando in Gonorrhœæ intempestiva suppressione in ingentem magnitudinem excrecere; quod contingit quatenus seminalis materia, quæ per foramina, ab astringentium usu nimium constricta, effluere non potest, in Epididymidum, Testiculorumque ductibus ita accumulatur, ut cum Epididymidibus Testiculos in tantam magnitudinem distendunt, ut cum bracherio eos sustinere sæpe cogantur Venerei.

Quandoquidem omnia organa superius memorata ad unius seminis perfectionem ordinata diximus, petet forsan aliquis, quale illud semen sit?

Respon-

Respondebimus cum *Sennerto* qui *instit. medic. lib. 1. cap. x. de Generatione* dicit semen esse corpus quoddam spirituofum, calidum & humidum, in Testibus genitum, seu spirituplenum, ad animæ propagationem aptum.

Ut desiderio quorundam satisfaciamus, nonnullis ex curiosioribus petitionibus hoc in loco respondere conabimur.

Petitur primo, quare omnia animalia excepto gallo post coitum contristentur? respondetur id fieri propter effusionem seminis, quod nobilissimam sanguinis portionem & spirituum animalium copiam in se continet; ita ut quidam existiment, unius feminis drachmam viginti sanguinis drachmis æquiparandam esse.

Quare autem gallus solus post coitum non contristetur, est forsan, vel quia calidum illud animal feminis copia abundat, vel quia exiguo temporis spatio, quo in coitu versatur, pa-
rum

rum tantum feminis emittat.

Petitur secundo, quare castrata animalia ita mutantur, ut quasi foemineum habitum acquirant? respondemus cum *Th. à Vega* illud provenire ex aura quadam seminali in generatione feminis elevata, quæ ita totum corpus immutat, ut ipsæ carnes non liberæ evadant: experientia enim comprobatum est, non castratorum animalium carnes feminis aliquod virus referre, unde aliquando contingit, ut non castratorum porcorum carnes, dum coquantur, tam graveolentem odorem de se spargant, quod minime contingit in castratis. Ratio mutationis & debilitatis post castrationem etiam in eo consistere potest, quod vasa lymphatica, una cum tenuiori ac aquosiori feminis parte, alias quoque nobiliores ex Testibus hauriant & cordi, aliisque corporis partibus communicent.

Nec solum seminalis aura masculorum, verum etiam femellarum corpora quandoque mirum in modum mutare quoti-

quotidiana docet experientia, de qua re quia hic rarissimum habemus exemplum, ejus historiam paucis enarrabimus. *D. vande Velde*, in cujus aedibus domicilium Delphis elegimus, non abhinc longo tempore canem habuit admodum pinguem, ex cujus mammis felis per aliquot annos lac exfuxit tam copiosum, ut inde fere nutriretur, idque per multos annos, absque quod unquam generasset, imo quod magis est, coivisset; nam toto tempore, quo canem coitum appetere animadvertent, illam diligenter custodiebant: nihilominus tandem aliquando canis aliquis domum intrans cum illa coivit; & ab illo tempore felis nunquam lac, quemadmodum ante, ex mammis exfugere voluit; idque procul dubio ob mutationem quam seminalis aura in canis corpore effecerat.

Petitur tertio, utrum Semen veneni induere possit naturam? affirmativa placet *Galeno lib. 6. loc. affec. cap. 5.* si scilicet retentum corrumpatur, atque

que putrescat, aut etiam vitiosum producat, gravissima inducet symptomatica. neque mirum hoc nobis videri debet, cum idem etiam sanguini & lacti accidat. Quod si hujus rei causam interrogetis, quare semen, quod est corpus optimè & perfectissime elaboratum, spiritibusque multis perfusum, & calore sufficienti instructum, in substantiam adeo pravam face scat? respondebimus, res optimas dum corrumpuntur pessimas evadere; cum igitur semen Naturæ optimum ac amicissimum corrumpitur, & in contrariam naturam degenerat, pessimum & naturæ maximè inimicum evadet, ac per consequens veneni naturam acquirat.

Petitur quarto, quare omnes in quibus lithotomia fuit instituta non infœcundi & steriles maneant, quandoquidem sine vesicularum seminalium aut corporis glandosi incisione non possit peragi? Respondemus tum demum steriles reddi, quotiescumque omnes

omnes viæ propter majoris & inæqualis calculi extractionem nimium dilacerantur; contra vero, si tantum unius partis vas semen deferens vel vesicula seminalis diffecetur; quia ut ante diximus medio quodam interstitio partes dextræ à sinistris distinguuntur, atque sic commodè partes unius lateris alterius vices subire possunt, quemadmodum superius luculenter probavimus.

Possemus adhuc plures quæstiones difficiles & curiosas adferre, sed ne hunc tractatum in tantum evehamus, ut propriam molem amplius ferre non possit, ad Problemata Aristotelis, ubi istius naturæ quæstiones proponuntur, curiosos ablegamus, & nos ad Organum, quod seminis jam confecti & coacervati excretioni dicatum est, sermonem dirigemus, cujus Nomina primo, postea Situm, Figuram, Substantiam, Partes ac denique ejus Usus determinabimus.

Nomen. Nomina hujus organi quod attinet, fere

fere sunt innumerabilia, & indies adhuc plura efformantur à parasitis & otiosis hominibus ac in Venerem prònis, nec non à lascivis Poëtis, quæ reticere præstat, quam nominare, præsertim cum in tantum solummodo nominibus studeamus, in quantum nos in rerum ipsarum notitiam deducunt; quapropter pauca duntaxat enumerabimus. Appellatur ut plurimum Membrum virile, quia iis proprium est, Penis à pendendo, vulgo etiam Mentula nuncupatur, quod rigida hæc pars viro mentem eripiat, vel à seriis ad jocosa & Venerea avertat.

Quanta æstimatione ac dignitate membrum virile apud Ægyptios & alios non paucos habitum fuerit, videre est in *Riolano Anthropographiæ lib. II. xxx.* ubi inter alia sequentia profert.

Nota suburbanas inter Theletusa puellas

Quæ puto de questu libera facta suo est:

Cingit inaurata penem tibi sancte corona:

Hunc Pathicæ summi numinis instar habet.

Memoratu etiam dignum est, quod

I

narrat

narrat *Linschotus* in Itinerario, Cafres Æthiopiæ populos ad oram maritimam, quæ apud Caput bonæ Spei porrigitur, invicem variis bellis occupari. Victores victis cæsis & captis pudenda rescindere, quæ rescicata Regi reliquorum procerum præsentia offerunt hisce moribus; pudenda in os assumunt singulatim, atque ad Regis pedes ea exspuunt; Rex collecta ac sublata in regium munus victori restituit, quæ victor filo connexa pro monili, sponsæ seu uxori suæ de collo suspendit. Sponsa hoc habitu incedens in tantum attollitur, ut se vel totius mundi Reginam, aut aureo vel lere insignem credat. Qui plura de membri virilis dignitate cognoscere desiderat, adeat Riolanum loco superius citato, nos interim ad ejus Situm pergemus.

Situs Situm est in imi ventris parte inferiore, ut commodius fieret congressus, & aliis partibus impedimento non esset. Originem ducit à valido ac robustif-

bustissimo fundamento, scilicet pubis ossibus, quibus suis radicibus firmissime implantatur. In medio positum, quia numero unicum est. *Bartholinus* refert *lib. 1. cap. xxiv.* in quodam Bononiæ dissecto duplicem penem fuisse, & *Whartonus* in *lib. de gland. cap. xxix.* dicit gallos gallinaceos duplicem habere Penem, quod an præterea in aliis animalibus similiter observatum sit ignoramus.

Magnitudinem habet in ætate proVectis ut plurimum unius spithamæ: ut plurimum dicimus, quia dantur familiæ, quæ Veneris armis instructæ præ aliis magis excellunt. Refert *G. F. Hildanus cent. vi. obser. lxi.* generosum quendam juvenem virginem ex nobilissima familia oriundam & optimo corporis habitu præditam duxisse, quæ in secundum annum non solum sterilis permanfit, sed tandem quoque in cacochymiam incidit; idque ob immensam longitudinem penis mariti sui, quæ ipsi non solum in

coitu, sed etiam post congressum maximos dolores causabatur, à quibus scutum quoddam eodem in loco depictum longitudinem quasi penis diminuens eam liberavit, coitumque tam jucundum effecit, ut nunquam de eo imposterum conquereretur.

Quantum autem frequens coitus ad Penis augmentum faciat, quotidie advertunt illi, qui in Veneris prælia vel frequentiores, vel alacriores descendunt. Ineptum est illud obstetricum proverbium, futurum Penem majorem, si vasa umbilicalia, non proxime ad umbilicum ligentur, abscindanturque in recens natis, ob Ura-
chum, qui inter vasa Umbilicalia continetur, & vesicæ fundo annectitur, unde putant retro Penem cum vesica trahi, quod ex ulteriori Penis descriptione impossibile apparebit. Neque etiam æternæ veritatis est, quod dicunt Physiognomi, scilicet ad formam nasi penis magnitudinem cognosci; quia in cadaverum dissectione non raro con-

ro contrarium observatur ab Anatomicis; & licet res sese ita haberet, non propterea tales viriliores, ac bello Venero aptiores existerent, cum hoc non ab ingenti Penis longitudine proveniat, uti notavit *Aristoteles lib. 1. de gener. animal. cap. VII.* dicens, quibus Penis immodicus est, infæcundiores sunt iis, quibus mediocris; propterea quod semen frigidum infæcundum est, refrigeratur autem quod longe admodum fertur.

Figura Penis teres esset, nisi in superiore parte, quæ dorsum dicitur, latusculus existeret.

Substantia non est ossea, quemadmodum in cane, lupo, vulpe, glire, vespertilione &c. sed peculiari & propria structura prædita, hinc forsan proverbium Belgis dictum, *Sy en vint daer geen been in.*

Cæterum Penis ex variis constat partibus, quarum aliæ Externæ sive continentes, aliæ Internæ, seu contentæ merito appellantur.

Externæ seu Continentes sunt; Cuticula, Cutis & Panniculus carnosus: non vero Pinguedinem sub cute observant Anatomici, quemadmodum in aliis corporis partibus; ne scilicet ejus erectionem impediat, aut in nimis magnam molem excrescat vel indidibilem voluptatem interpellat.

Internæ seu Contentæ Penis partes sunt duo Corpora nervosa, Septum, Glans, quatuor Musculi & Vasa.

Sunt autem Corpora nervosa quasi binæ capsulæ vel folliculi oblongi, quæ muniuntur undique exterius crassa, alba, nervosa, firmissimaque membrana. Oriuntur ab inferiore ossium pubis sede distincto à se invicem principio, ita ut in exortu suo duo quasi cornua, vel litteram Y efformare conspiciantur; ut Urethræ inter utrumque locum medium concedant. Ubi vero ossa pubis derelinquunt, singula membranâ quadam investiuntur & postmodum interventu septi intermedii invicem conjunguntur, quod quo
magis

magis ad glandem accedit, eo magis attenuatur, & ita, ut antequam ad Penis medium pervenerit, ab Urethra instar pectinis ascendat versus Penis dorsum; dum vero ulterius excurrit, ejus fibræ sensim ita attenuantur, ut prope Glandem Septum intermedium fere evanescat, & duo Penis corpora nervosa in unum coalescant: atque hinc fit, ut semper æqualiter Penis erigatur, nam si illud Septum intermedium exacte unam partem ab altera distingueret, contingere quandoque posset, arteriarum unius vel alterius lateris obstructione vel compressione, ut una ejus pars extenderetur, altera remanente flaccida, quod jam pro impossibili habetur.

Internam corporum nervosorum Substantiam quod attinet, spongiosa est, & innumeris quasi fibris mirabili figura hinc inde excurrentibus, ac membranam aliquam, ne nimium dilatetur, retinentibus componitur.

Whartonius cap. xxxii scribit corpora

ra illa interne glandosam carnem habere, quæ quodam modo infarcit ejus capsulas, easque extra coitum, ut ait, à nimia concidentia & flacciditate tuetur, sed nos carnem hanc glandosam in capsulis illis nunquam observavimus, nec præter arterias, sanguinem & fibras in illis quidquam notavimus; quod ut vestris oculis nobiscum videre possitis, in hunc modum Penis præparetur: exprimatur primo leniter sanguis qui in eo semper magis vel minus copiosus existit, & postea immisso tubulo in substantiam spongiosam, eo scilicet in loco, ubi ad ossa pubis proxime accedit, atque Penis cavitas aquâ beneficio syringæ impulsâ ad dimidium impleatur, & cum ea blandè agitetur: aquâ illâ cruenta effusâ, iterum novâ adimpleatur, idque ter quaterve reiterando, donec non amplius cruenta prodeat; quo viso exprimatur blande inter duo lintea aquæ quantitas, quæ in corporibus nervosis continetur, atque tandem flatu ita distendatur

datur Penis, donec naturalem magnitudinem acquirat; in qua ut conseruetur, vinculum injiciatur oportet: flatu sic distentum, exsiccatumve Penem pro lubitu ita examinare potestis, ut omnia in suo situ naturali, id est tali, qualem in Veneris actu obtinere solet, clare atque distincte conspiciantur.

Ex jam dictis perspicuum est parum referre, num Penis flaccidus, magnus vel parvus existat, cum hoc tantum à majori vel minori sanguinis copia, in corporibus nervosis existente, dependeat. quod eo liberius asserimus, quia aliquando dissecuimus cadavera, in quibus penis admodum exiguus prima fronte apparebat, qui inflatus ex occulto protendebatur tanquam

*Monstrum horrendum, informe, ingens,
cui lumen ademptum,*

ut ludit *Ausonius in cent. nupt. v. 1270.*

*Vidi ipsemet aliquando viri cujusdam
penem, inquit Clarissimus Harvæus de
gener. anim. introrsum adeo reductum
(præterquam cum tentigine provocaretur)*

tur) ut nihil in corrugato Præputio supra scrotum, præter summum glandis apicem prominere.

Corporibus Nervosis subjicitur canalis, siue urethra, ejusdem cum corporibus nervosis substantiæ, præterquam quod spongiosa ejus pars, quæ copiosa inferiori ejus parti adjacet, minores habeat poros propter fibras tenuiores, copiosioresve; hac de causa merito distinguitur in partem spongiosam & membranaceam.

Spongiosa urethræ pars tegitur membrana, quam corpora nervosa tenuiori, pluribus transversis fibris aspera; hæc dum inflatur digiti crassitiem obtinet, quæ sensim Glandem appropinquans, magis & magis attenuatur, graciliorque redditur, atque tandem in Glande obliteratur. Hic etiam notandum inflatis corporibus nervosis spongiosam Urethræ partem statim etiam intumescere, & contra, quod notabilem horum corporum inter se commercium arguit, idque non alium
ob fi-

ob finem à Natura ita ordinatum iudicamus, quam, ut Penis erectio suo tempore promptior meliorque contingeret.

Membranacea Uretheris pars interna, quam Urethram appellamus, teres & cava est, eandem fere à principio ad finem amplitudinem obtinens, unde *Celfo* Fistula urinaria vocatur. Incipit autem à cervice, & ad Glandem usque porrigitur, eamque tegere videtur, quo blandior ab externis contactus & sensus vigor evidentior sit.

Duobus corporibus nervosis & urethrá jam descriptis, in anteriori quasi parte apponitur substantia quædam reliquis Penis partibus carnosior apprens, quæ apud Anatomicos Glans, Balanus & à similitudine Cerasum quandoque nominatur: solet hæc pars ordinario excedere magnitudinem corporum nervosorum, quæ coronæ modo, quasi circulo, cingit, anteriori parte tamen aliquantulum acutior est.

Tegi-

Tegitur hæc pars extra Veneris æstum cute, propter duplicaturam admodum meabili, unde facile revolvitur & reducitur, quæ inter Anatomicos Præputium nuncupatur; idque quia præ pudendis existit, & non à præputando, ut aliqui male interpretantur; nam Romani ei parti prius nomen imposuerunt, quam scirent à Judæis illam præscindi solitam.

Excrefcit sæpe hæc pars Ægyptiorum, Arabumque puerulis, ut scribit *Veslingius in Syntag. Anat. cap. VI.* in tantam longitudinem, ut non minus ob periphymosis metum, quam ex religionis præscripto, partem ejus abscindere cogantur.

Contra vero aliquando ita minuitur & coarctatur (quemadmodum aliquando in hisce regionibus observavimus) ut non nisi cum summa difficultate urina excernatur.

Adhæret Præputii pars, quæ Glandi adjacet sua extremitate circa corporum nervosorum finem, hoc est, im-
mediate

mediate retro glandem: ita ut duplicatura sua tantummodo glandem tectat, cui infima parte annectitur ope tenuissimi vinculi, quod Frænum nominari solet.

Glans, sive balanus tam exquisito tactus sensu præditus est, atque ulla totius corporis pars; eum scilicet in finem, ut coitus melius perageretur, quem triplicem ob causam, scilicet finalem, instrumentalem & materialem, tam avide appetere vulgo statuunt.

Finalis causa est speciei conservatio. Ut enim species propagaretur Natura actum connubialem ingenti cum voluptate conjunctum esse voluit. Hanc enim nisi homini implantasset, species sane humana interisset. Quis enim, inquit eleganter *Andreas Laurentius lib. VII. anat. cap. I.*

Q. 7. concubitus, rem adeo fædam, sollicitasset & amplexatus fuisset? quo vultu divinum illud animal plenum rationis & consilii, homo, obscenas mulierum partes, tot sordibus inquinatas,

natas, & ea ratione in locum imum, velut sentinam corporis, relegatas, attrectasset? Quæ foemina maris in amplexum ruiisset: cum & nonimestris gestatio laboriosa sit: & foetus exclusio diris cruciatibus molesta, sæpeque exitiosa: & editi foetus educatio plena sollicitudinis, nisi incredibili voluptatis œstro prædita essent genitalia.

Instrumentalis causa sunt Partes genitales, quæ exquisitissimo tactus sensu præditæ sunt, quemadmodum statim de Glande penis diximus, unde facile titillantur, titillatæ vero mira voluptate afficiuntur.

Materialis vero est ipsum Semen, quod teste *Galeno lib. XIV. us. part. cap. IX.* voluptatem ingentem excitare potest; ut & humor, qui in corpore Glandoso à sanguine secernitur, de qua re dum tractat *Cass. Hofmannus in comm. in Gal. lib. XIV. de usu part. cap. IX.* sequentia profert verba: *Non possum non meminisse hic joci serii, qui in pago proximo ante paucos annos accidit.*

dit. Pater senex & scabiosus diligenter debortabatur filiam petulcam, omittere porro ista. Quid fit? captata occasione hypocaustum illa egregie calefacit, patremque jubet assidere fornaci. Ibi cum miser fricaret se, incipit nequam filia debortari senem à frictione, mentione doloris, qui secuturus esset. Tum ille: vellem, si possem. Excipit hæc: & Ego vellem, si possem. Sed quid de hac feminis acrimonia vel titillatione dicendum sit, aliis examinandum relinquemus, interea temporis nos reliquas Penis partes examinabimus.

Musculi Penis quatuor numerantur, quorum duos Collaterales Penis appellat *Spigelius*, alii Erectorum nomine illos indigitarunt. Originem fumunt à coxendicis appendice, infra principium duorum corporum nervosorum, in quorum membrana crassissima terminantur ac evanescunt ejus fibræ.

Præter jam enumeratos Musculos adhuc duos alios obtinet virile membrum,

brum, quos Urethras Dilatantes appellat, & ab Ani Sphinctere prodeunt, & invicem internis lateribus juncti obliquo gradu sub canalis parte exteriori excurrunt, & terminantur pariter in membrana crassa corporum nervosorum.

Ufus horum Musculorum ab omnibus Anatomicis dicitur Penem erigere & Urethram dilatare, quod ut verum fateamur, in sensum nostrum incidere hactenus nequaquam potuit; cum longe alium illis usum adscribendum judicemus.

Ratio vero, propter quam contra omnes Anatomicos Musculis prioribus Penem extendendi ac erigendi potentiam denegamus, est, quod in omnibus musculis, dum agunt id, ad quod destinati sunt, eorum ventres intumescant atque extremitates ad se invicem accedant. Quod cum ita sit, fieri non potest ut Penis hac ratione extendatur; quandoquidem musculi actio sit contractio, quæ extensioni
con-

contraria est. Neque etiam horum musculorum ope immediate Penis erectionem contingere posse, ex eorum accuratiori inspectione, & iis quæ jam dicta sunt, clare cognoscitur; quia musculorum illorum extremitates ad se invicem debent accedere, & cum principium quod coxendicis ossibus firmiter implantatur, propter illorum quasi immobilitatem moveri non possit, necesse est altera eorum extremitas appropinquet, cui cum affixum sit membrum virile, necessario id sequi debet: si vero sequatur, quid fiet? Penis non erigetur, sed deprimetur; quia in inferna parte, sive sub Pene, ex coxendicis appendicibus originem sumunt dicti muscoli, & inferiori Penis parti implantantur.

Aliorum musculorum supra Urethram excurrentium usum, ab aliis Authoribus assignatum, adhuc longè minus possumus concipere; quandoquidem hi muscoli per medium Urethræ excurrentes sibi invicem una fi-

K

brarum

brarum extremitate firmissime ununtur, dum alteram & sibi oppositam fibrarum extremitatem oblique quodammodo supra Urethram excurrentem, ad ejus latera nervosis corporibus immittunt; ita ut Urethram quasi in amplexu suo contineant; unde etiam sequitur, si in horum muscutorum actione, quemadmodum in aliis, fibrarum contractione ventres intumescant, quod nullo modo Urethram dilataturi sed compressuri sint, eoque magis, cum extremitates ad se invicem accedere non possint, quod si alibi, profecto in his musculis locum habet, nam tantum abest ut extremitates ad se invicem accedant, quin potius corporum nervosorum, quibus implantantur, dilatatione adhuc magis distendantur, atque sic Urethra etiam magis comprimetur.

Quis igitur non videt claudicare horum muscutorum usum per tot retro secula ab Authoribus assignatum? ne tamen simus similes illis, qui alienam
 fen-

sententiam repudiando quam propriam probando plus temporis atque difficultatis impendent, statim ac vatorum in membro virili occurrentium historiam absolvimus, verissimum horum musculorum usum paucis describere conabimur.

Vasa Penis obtinet omnis generis, quorum aliqua, missis iis quæ per cutem repunt & à pudendis oriuntur, supra crassam corporum nervosorum membranam excurrunt, alia vero internam eorum substantiam spongiosam perambulant. Quæ supra crassam corporum nervosorum membranam in Penis dorso excurrunt, sunt Nervi duo, ab ossè sacro propaginem ducentes, totidemque Arteriæ & Venæ ab hypogastricis prodeuntes, & in transitu hinc inde furculos de se mittentes, quæ usque ad glandem fere excurrunt antequam visum aufugiunt.

Inter vasa jam enumerata, venæ illud peculiare obtinent, quod eo fere in loco ubi Penis radices simul jun-

guntur, simul fere uniantur, ac uno tantum trunco versus glandem excurrant, contrario modo quam in canibus contingere observamus.

Quæ vero internæ per spongiosam Penis substantiam currunt Arteriæ duplices conspiciuntur, quarum aliæ per toties memoratorum corporum nervosorum substantiam repunt, & aliæ per fungosam urethræ substantiam excurrunt: quæ cum valde exiles sint, libere fatemur nos nobismet ipsis satisfacere non potuisse, dum nuper cum *Henrico Annema* peritissimo in hac civitate Chirurgo vocaremur ad ægrum, ex cujus Membro virili per Urethram 14. circiter sanguinis libræ effluxere, idque interdum tanta vi ut majori urinam excernere non posset. Quod cum sit hujus partis vitium dignum ut posteritati tradatur, ejus historiam in curiosorum gratiam hic adnectemus.

Ian Huybrechtz annorum 52 natus, vir robustus atque vegetus, habitans in vico

in vico dicto Vocquestert, ultimo
Januarii 1668. onustus sacco tritici,
dum per asserem supra aquam positum
transiret, pedemque versus marginem
figeret, asser invertebatur ea ratione,
ut intra ipsius pedes asseris acies exi-
steret, in quam pondere tritici ita
comprimebatur, ut Perinæi atque Te-
sticulorum mira contusio adesset, abs-
que vulnere externo aut hæmorrhagia:
donec dimidia hora post casum urinam
emitteret, tunc enim primo tria cir-
citer sanguinis cochlearia effluxere,
urina clara & sine sanguine mixta
subsequente, quæ acrimonia sua in
Urethra summos excitabat dolores,
nunquam tamen sanguinem effluxisse
nobis retulit nisi dum rursus urinam
redderet. Cum itaque per quatuor
dies non nisi exigua quantitas sangui-
nis per Urethram efflueret, non operæ
pretium fore existimabat Medici
cujusdam auxilium implorare. Quid
contingit? quinto à casu die cum supra
sedem sese ponens, partes contusas

aliquantulum durius agitaret, sanguis cum pulsatione tanto impetu per urethram effluxit, ut adstantes ipsum jam jam moriturum crederent, ne tamen omnis sanguis uno impetu efflueret aliquis consanguineorum penis partem anteriorem tamdiu comprimebat, donec nostrum auxilium implorassent. Domum intrantes inter uxoris, filiorum filiarumque ejulatum & consanguineorum suspiria ægrum in miserrimo illo statu invisimus. Lecti tegumenta & reliqua ipsi vicina non aliter sanguine erant conspurcata, ac si bos in loco illo ubi æger decumbebat jugulatus fuisset. Intelligentes modum quo cecidisset & quod per quatuor dies consequenter semper exigua sanguinis quantitas solummodo ante urinæ excretionem effluxisset, judicavimus spongiosam Urethræ substantiam, ejusque arterias læsas esse, licet tam impetuosi sanguinis illius effluxus causas non sufficienter conciperemus. Præterea explorantes
in infe-

in inferiore abdominis parte immediate supra pubis ossa tumorem instar capitis infantis magnum, asseruimus illum propter dictam Penis constrictionem à regurgitato sanguine in Vesicam originem habere, quemadmodum dictum nostrum eventus confirmavit: & explorantes ægrotantis pulsus, eum debilem ac languidum, propter tantæ copię sanguinis effusionem inuenimus; quapropter hærebamus dubii, cui inter tot ac tanta mala primo occurreremus, cogitantes præsertim, quod à sanguinem sistentibus, sanguis in Vesica nimium incrassaretur, & ab attenuantibus contra sanguis in corpore fluidior evadens, majori etiam copia per arterias, ob casum interne dilaceratas, efflueret. Tandem aliquando re ut decebat examinata, ex arena cepimus consilium, & diximus invicem potiori malo succurrendum esse, quod cum à nimia virium debilitate, propter sanguinis effluxum immineret, similem mixturam qualem magnus Pro-

fessor noster *Franciscus De le Boe Sylvius in praxi sua* nuper edicteptalib. I. cap. IX. proposuit, ægrotanti nostro ad virium corroborationem & sanguinis fluxum sistendum præscripsimus: quandoquidem propter summam virium debilitatem, venæsectioni non daretur locus, & præterea Perinæo, cum partis affectæ compressionem per ligaturas non possemus instituire, medicamentum astringens applicuimus, atque sic ægrotantis vitam per illam noctem conservavimus; sequenti die reversi, cum sanguinis fluxus necdum in totum cessaret, & vires parum melius constarent, venam ipsi in brachio aperuimus, atque decoctum vulnerarium præscripsimus. Tertio die ægrum nostrum, quem mediocriter habentem dereliqueramus, in pessimo statu invenimus, nam præterquam quod ex nimia inanitione singultus, etiam à sanguine in Vesica & aliis partibus corrupto, ingens febris excitabatur. Gravissima hæc

hæc symptomata cum post iteratam enematum ex lacte dulci & electuarii diacatholici uncia cum dimidia injectionem minuerentur, decocto vulnerario quædam diuretica addidimus, quæ sanguinis grumos jam semi corruptos feliciter ex Vesica propellebant, cessante sensim cum febre singultu, paucis præter ea quæ enarravimus medicamentis, ægrum nostrum in mortis bilance versantem Deo benigne annuente parvo temporis spatio feliciter restitimus.

Ex iis quæ de Membro virili diximus, patet illud constare ex diversis partibus, quæ tamen omnes affabre eum in finem conspirant, ut intendi & laxari possit: quam enim turpe & foedum foret, quamque rebus agendis alienum, arrecto Pene semper esse Satyrorum ad instar, quam vero incommodum ad res venereas peragendas, eum semper laxum & flaccidum gestare. Oportebat itaque ut aliquando intenderetur ad semen optime

præparatum in Uterum ejaculandum, ad quod, cum propter plurimas rationes in interna corporis cavitate conclusus sit uterus, ne seminalis virtus evanesceret, vel frigore externo debilitaretur, Natura canalem quemdam extruxit, qui dictis corporibus nervosis cum necesse sit, extenditur, ut ea ratione melius in vaginam recondetur, semenque ad Uteri osculum pertingeret.

Ad Penis erectionem duo vasorum genera cum musculis inservire nobis maxime videntur. Nervi scilicet, per quos spiritus animales in membrana-ceas Penis partes influentes eas rigidiores tumidioreque reddunt. Arteriæ autem quatenus sanguinem ad fungosas Penis partes distendendas apportant; nam à sanguine primariam Penis extensionem dependere firmiter sumus persuasi. Primo postquam in cadaveribus aquâ beneficio Syringæ in corpora nervosa per arterias propulsâ Penem ita extendi videremus ut

in vi-

in vivis vix magis posset. Secundo postquam ex Pene alicujus canis, quem tempore coitus retro ossiculum firmissime ligavimus, in ejus dissectione præter sanguinem floridum nihil effluere animadverteremus, eoque effluxo penis flaccesceret.

Jam vero qua ratione sanguis id præstet inquirendum est: quod ut recte fiat, primo considerandum est, sanguinem per arterias continuo ad Penis extensionem præstandam propulsum, in eo necessario retinendum esse; quod cum contingere non possit, nisi venæ, per quas refluit, claudantur, necessario aliquid ad id præstandum antequam Penis erigitur adesse debet: id autem cum ab adjacentibus partibus provenire non possit, necessario quærendum est in ipsis Penis partibus, quæ sunt duo corpora nervosa, Septum, Glans, Urethra, vasa & quatuor muscoli: non autem vim coarctandi venas reperies in Corporibus nervosis, neque in Septo, neque

que in Glande, neque in Urethra, neque etiam in ipsis vasis, ergo necessario Musculi illud præstare debent, & quidem ut existimamus ratione sequenti, quatenus ventres eorum, dum intumescunt, corpora nervosa & meatus per quos sanguis naturaliter refluit comprimunt, & comprimendo impediunt quo minus sanguis per Arterias in corpora nervosa impulsus effluat; unde patet sanguinem primariam Penis extensionis causam esse, secundariam vero Penis musculos, & adjuvantes nervos cum ipsis corporum nervosorum membranis.

Et ut dicti nostri veritas adhuc magis elucescat, examinetur vel solummodo quid in horum musculorum operatione dum Penis erigitur, naturaliter contingat, & reperietis quotquot hujus examinis capaces estis, in eorum actione Penem tantillum retrahi, ac eodem tempore corpora nervosa magis inflari; idque non alia ratione, quam quia muscoli, præterquam,
quod

quod sanguinis refluxum per venas impediunt, principium corporum nervosorum comprimendo, sanguinem versus eorum finem, qui in glande est, propellant.

Idem quoque in urethra observari potest, cujus spongiosa pars in muscutorum urethram dilatantium dictorum actione magis intumescit, non quidem eo in loco ubi muscoli supra urethram excurrunt, nam ibi coarctatur, & coarctatione illa vi quadam sanguis versus glandem propellitur, eaque ratione Penis inflationem atque erectionem adauget. Quod ut pariter clarum evadat digito solummodo comprimatur in tentigine urethrae medium, & observabitis in illorum musculorum actione, sanguinem impetu quodam versus digitum propelli, ibique sisti, qui alias usque ad glandem excurreret.

Hac urethrae compressione, è vesiculis seminariis & vasibus deferentibus in urethram propulsum, ibique cum
men-

menstruo suo permixtum, ulterius expelli posse, firmiter nobis persuasum fuit, postquam vidimus emissa urina illa quæ in urethra permanerat, magna vi in illorum musculorum actione urethra propelli.

Si petat hic aliquis quâ ratione Penis in horum Musculorum actione erigatur, uti naturaliter videmus contingere, si Musculi, quemadmodum superius diximus, Penem potius versus inferiora retrahant quam erigant? respondebimus id non immediate horum Musculorum beneficio contingere sed mediate: quatenus scilicet Penis Musculi coarctando corpora nervosa circa eorum exortum, sanguinem versus Penis partem anteriorem propellant, atque sic corporum nervosorum distentione erectionem adaugent: quemadmodum videmus indies contingere in intestinorum partibus quas flatu vel aquâ distendimus, si una earum extremas comprimatur, altera magis distenta statim erigetur. quod
in

in Pene similiter contingere clarius probare possemus nisi timeremus ulteriori argumentorum appositione castorum aures lædere, quod cum hæcenus quantum potuimus evitare conati simus, ne in cauda venenum reperiat, de iis hoc in loco nihil dicemus.

Ex jam dictis patet tribus modis penis erectioni succurri posse: primo exhibendo talia quæ spiritus animales augere possunt. Secundo propinando talia quæ sanguinis quantitatem augment, atque ejus motum accelerant. Tertio corroborando musculos, qui constrictione sua sanguinem in corporibus nervosis detinere debent: utrum vero hoc medicamenta corroborantia & adstringentia in pærineo applicata præstare possint, facili negotio experiri possunt Practici, quorum auxilium nimia flacciditate laborantes aliquando imploraturi sunt.

Atque sic Seminis Generationem, Ejaculationemque, secundum ea, quæ à nobis circa Partes Genitales obser-
vata

vata sunt, pro viribus explicare conati sumus. Abhorrebat animus primo ab illarum partium denudatione, quas Natura ipsa abscondere studet, sed postea commiseratione quadam moti, quâ hominum calamitatibus succurrere omnibus viribus studemus, deliberavimus tandem artis peritis ea detegere, sine quorum notitia sæpenu-mero ægros suos in summos dolores ac vitæ pericula conjiciunt, quod ut quantum in nobis est, de partibus genitalibus virorum averteremus, hunc tractatum conscripsimus; cui postea si intelligamus labores nostros non ingratos fuisse, dummodo tempus & occasio permittet, alium insuper tractatum de partibus genitalibus Mulierum adjungemus.

TABU-

Fig. I




Fig. II




Fig. III


Tab. I




K



M





TABULARUM INDEX.

TABULA I.

Exhibet Vasa semen Præparantia & Deferentia Testiculorum, prout ea in subjecto humano præsentibus primariis hujus Civitatis Medicis ac Chirurgis, modo superius dicto præparata delineavi.

FIGURA I.

- A. **A**rteria semen præparans modo naturali ab Arteria Aortæ trunco usque ad Testiculum excurrentes.
- BB. Ramificatio Arteriæ semen præparantis ad Testiculum properans, præterquam in hoc subjecto, rarius à nobis observata.
- C. Ordinaria Arteria semen præparantis divaricatio in duos ramos.
- DD. Ramus Arteriæ semen præparantis minor, quæ ad Epididymides excurrit.
- EE. Ramus Arteriæ semen præparantis major, quæ superiori Testiculi parti implantatur, & per ejus dorsum descendit versus Testiculi partem inferiorem,

- rem, cui annexus est Globus minor Epididymidis, atque rursus regreditur per Testiculi ventrem, ubi in plures ramos dividitur.
- F. Globus Epididymidis major superiori Testiculi parti firmiter annexus.
- G. Epididymidis pars media inversa, ut arteria ramificationes, per partem ejus inferiorem excurrentes, conspiciantur.
- H. Globus Epididymidis minor inferiori Testiculi parti firmiter adharens.
- I. Epididymidis finis, sive principium vasis semen deferentis.
- K. Vas semen deferens, antequam ad vesica urinaria posteriora pervenit, abscissum.
- L. Testiculus ea ratione collocatus qua vasa ejus optime conspiciuntur.

FIGURA II.

- A. Vena semen præparans à venæ cavæ trunco descendente eleganti modo usque ad Testiculum excurrentis.
- B.B. Rami Venæ præparantis ad omentum & Peritonæum tendentes.
- C. Primæ Venæ præparantis divisio in duos ramos, qui postea rursus vario modo subdividuntur, iterumque uniuntur.
- DDDD. Valvula Venarum præparantium, circa quas venæ dum instantur, nodose apparent.

EEEE.

- EEEE. Venarum preparantium divisiones ac u-
niones plurima, ut sanguis a seminis generatio-
ne superflua, in una ramificatione detentus, per
alteram ad cor redire possit.
- FF. Superior Testiculi pars cui Vena preparantis
ramificationes In dorso implantantur.
- GG. Ramificationes Venarum preparantium ad la-
tera Testiculorum per tunicam albugineam repentes.
- H. Corpus Testiculi.
- I. Globus Epididymidis major superiori Testiculi
parti firmiter annexus.
- K. Epididymidis pars media Testiculo leviter adhae-
rens.
- L. Globus Epididymidis minor inferiori Testiculi
parti firmiter annexus.
- M. Vas semen deferens in medio fere abscissum.

FIGURA III.

- A. Vasis semen deferentis portio, & in ea cavitas
conspicua.
- B. Serpentine flexus circa finem Epididymidis ex
parte soluti.
- C. Ultima Epididymidis solutio.
- D. Serpentine flexus circa medium Epididymidis
soluti.
- E. Ejus partis ultima solutio.
- F. Altera pars circa medium Epididymidis ex parte
soluta.
- G. Ejusdem partis ultima solutio; quapropter videtur

totum corpus Epididymidis esse tantum unicum vas
 continuatum, quod sensim Testiculi partem supe-
 riorem attingens magis magisque attenuatur.

H. Globus major sive principium Epididymidis, pro-
 pè quod vas ejus, in plures ramos dividitur.

I. Venter Testiculi.

K. Arteria preparans quæ ab inferiori Testiculi par-
 te per ejus ventrem ascendit.

L. L. Venarum preparantium ramificationes.

TABULA II.

Exhibet Testiculos humanos cum suis
 involucris propriis, & vasis.

FIGURA I.

A. Vasorum preparantium partes abscissæ.

B. Tunica vaginalis omnia Testiculorum vasa in
 se continens.

C. Musculi Cremasteris principium.

D. Musculi Cremasteris fibræ carneæ, quæ tunica va-
 ginali annectuntur, atque per ejus longitudinem
 excurrunt.

E. E. Musculi Cremasteris fibræ carneæ in tunica
 vaginali obscuro sine terminantes.

F. Tunica vaginalis Testiculos continens.

FIGURA II.

A. Vasa preparantia transversim dissecta.

B. Vasa Testiculorum à tunica vaginali liberata &
 per tenuissimas quasdam membranas sibi mutuo
 leviter connexa.

CC. Ar.

Fig. I




Fig. II



Fig. III Tab. II



S

- CC. Arteria semen preparans per ventrem Testiculi ascendens.
- DD. Venarum semen preparantium ramificationes ad latera Testiculorum excurrentes.
- E. Tunica albuginea Testiculi substantiam undequaque continens.
- F. Tunica vaginalis pars retracta.
- G. Globus Epididymidis major.
- H. Epididymidis pars media.
- I. Globus Epididymidis minor.
- K. Epididymidis finis sive vasis semen deferentis principium.
- L. Vas semen deferens abscissum.

FIGURA III.

- A. Arteria semen preparans prout ordinarie in corporibus humanis reperitur.
- B. Arteria semen preparantis divisio in duos ramos.
- CC. Ramus Arteria semen preparantis major ad Testiculum excurrentes.
- DD. Ramus Arteria preparantis minor ad Epididymidem properans.
- E. Globus Epididymidis major Testiculo adhaerens.
- FF. Epididymis inversa, ut videatur qua ratione arteria sub illa excurrat.
- G. Finis Epididymidis.
- H. Vasis semen deferentis portio.

TABULA III.

Exhibet Testiculos brutorum animalium, in quibus vasa Testiculorum tum artificio, tum naturâ suâ facilius, & clarius conspiciuntur.

FIGURA I.

- AAA. Tunica vaginalis Testicul. ad latera deducta.
 B. Arteria preparans que antequam ad Testem accedit, de latere in latus sursum deorsumq; volvitur.
 C. Vasa preparantia tenui quadam membrana adhuc simul connexa.
 DD. Arteria preparans per ventrem Testiculi sursum ascendens.
 E. Vena preparantis propagines.
 F. Testic. caninus cum Epididymide semine turgidus.
 G. Globus Epididymidis major.
 H. Globus Epididymidis minor.
 I. Principium vasis semen deferentis.
 K. Vas semen deferens in cane ante coitum ligatum.

FIGURA II.


- A. Vasa preparantia abscissa.
 B. Vasa preparantia nimis confuso ordine ut in priori figura à sculptore expressa.
 C. Vasorum preparantium ramificationes ad Epididymides tendentes.

DD. Ar-

Fig. I



Fig. II



Tab. III


Fig. III



Fig. IV



Fig. V



- DD. *Arteria preparantis ramus maximus per ventrem Testiculi excurrrens.*
- EE. *Venarum preparantium ramificationes.*
- F. *Testiculus Caninus semine turgidus.*
- G. *Globus Epididymidis major semine turgens.*
- H. *Globus Epididymidis minor similiter ob copiam seminis distentus.*
- I. *Finis Epididymidis sive principium vasis semen deferentis.*
- K. *Vas semen deferens similiter ante coitum illæsis vasis preparantibus in inguine canis ligatum, ut vascula seminaria semine repleta clarius conspiciantur.*

FIGURA III.

- AA. *Globus Epididymidis major inversus, ut videantur ductus Epididymidis divaricationes earumque progressus.*
- B. *Superior pars Testiculi, ex qua vascula seminaria egrediuntur, quæ globum Epididymidis majorem constituunt.*
- C. *Vasa preparantia abscissa.*
- DD. *Vasorum preparantium divaricationes.*
- E. *Corpus Testiculi canini.*

FIGURA IV.

- A. *Testiculus caninus transversim dissectus.*
- BBB. *Vascula seminaria prout inter membranas*

certo ordine collocata detinentur.

C. Radix Epididymidis Hichmori dicta.

FIGURA V.

- A. Testiculus gliris in quo vascula seminaria nullâ preparatione præviâ ita semine turgent ut per membranam albugineam clarè atque distinctè appareant, eâque ablatâ sponte à se invicem secedant.
- B. Vasa preparantia abscissa.
- C. Arteria preparans.
- D. Vena preparantis ramificationes.
- E. Egressus Vasculorum seminariorum è Testiculo.
- F. Globi Epididymidis majoris pars concava Testiculo naturaliter adjacens jam sursum protracta.
- G. Globus Epididymidis minor, cujus prima divisio in hoc animali quasi in orbem vertitur.
- H. Vasis semen deferentis portio.
- I. Vasorum preparantium ramificationes ad Epididymides excurrentes.




TABULA IV.

Exhibet Testiculos humanos variis modis dissectos cum corpore Glandoso.

FIGURA I.

- A. Principium Epididymidis sive locus in quo Vascula seminaria nostra tunicam Testiculi albugineam perforant, quod sculptor loco altiori exprimere debuisse.

BBB. Glo-



- BBB. Globus Epididymidis major sursum protractus ut conspiciantur ejus ramificationes variæ, excurrenti modus, & eorum in Testiculos ingressus.
- C. Vasa preparantia abscissa.
- D. Vasorum preparantium per tunicam albugineam repentium divaricationes.
- E. Tunica Testiculorum albuginea Testiculum undique quam arctissime continens.

FIGURA II.

- A. Corpus Testiculi à tunica albuginea denudata.
- BB. Tunica albuginea inversa & sursum protracta.
- CCC. Vasorum preparantium tunicam albugineam perforantium portiuncula abscissa.
- D. Tunica albuginea dorso Testiculi propter membranas Testicul. ibi concurrentes firmiter adharens.

FIGURA III.

- A. Substantia Testiculi à Tunica albuginea denudata.
- BBB. Corporis Testiculi solutiones, quibus patet illud non esse glandulosum uti prima fronte apparet, sed ex vasculis compositum.
- C. Tunica albuginea sursum protracta portiuncula.

FIGURA IV.

- AAAA. Vascula seminaria Testiculorum inter membranas tenuissimas certo ordine collocata.
- BB. Vascula seminaria per membranaceam substantiam Testiculi dorso adharentem excurrentia.

C. Vasculorum seminariorum tunicam albugineam perforantium portiuncula abscissa, antequam serpentino ductu ut videre est in fig. I. BBB. globum Epididymidis majorem constituunt.

DDDD. Tunica albuginea in parte anteriori Testiculi aperta & ad latera deducta.

FIGURA V.

A. Testiculus transversim dissectus.

BBB. Vasculorum seminariorum dispositiones.

C. Membranarum Vascula seminaria, ne confundantur detinentium concursus Testiculi dorso firmiter annexus.

FIGURA VI.

A A. Glandosum corpus in anteriori parte divisum.

B. Urethra in superiori parte aperta.

CCC. Ductus glandosi corporis denudati.

O. Locus carunculae per quam semen à Testibus & Vesiculis seminariis profluens erumpit.

TABULA V.


Exhibet Vesicam urinariam humanam cum Vesiculis seminariis, Corpore glandoso, &c. naturali magnitudine depictam.

A. Vesica urinaria pars, cui Urachus annexus fuit.

B. Vesica urinaria in anteriori parte aperta.

CC. Ureteres.

DD. Exi-






Fig. I




Fig. II

X

- DD. Exitus Ureterum in Vesicam.
 E. Collum Vesicæ.
 FF. Vasorum semen deferentium partes abscissæ.
 GG. Vasa ad Vesiculas seminarias excurrentia.
 HH. Vesicula seminaria inflata.
 I. Caruncula duobus foraminulis prædita, per quæ semen à Testibus vel Vesiculis seminariis affluens in Uretram erumpit.
 KK. Corpus glandosum in anteriori parte divisum.
 LL. Oscula ductuum Corporis glandosi ad latera Caruncula hiantia, & nisi inflentur, punctis quibusdam solummodo conspicua.
 M. Rostrum Caruncula caput gallinaginis representans.
 N. Urethra in superiori parte aperta.

T A B U L A VI.

Exhibet Vasorum deferentium cum Vesiculis seminariis communionem prout in corpore humano naturaliter occurrit.

F I G U R A I.

- AA. Vasorum semen deferentium partes crassâ substantiâ & exiguâ cavitare donatæ.
 BB. Vasorum deferentium partes tenui substantiâ & magnâ cavitare capsularum ad instar dilatatæ.
 CC. Vasorum deferentium extremitates rursus coarctatæ & exiguo foramine in Vesicularum seminariarum collum hiantes.

DD. Vesi-

- DD.** Vesicularum seminariarum collum membrana quadam intermedia in duas partes divisum, ita ut unius lateris semen cum semine alterius lateris confundi non possit antequam ad Urethram pervenit.
- EE.** Vesiculae seminariae flatu distentae, ut mirabiles earum dilatationes & coarctationes conspiciantur.
- FF.** Vasa ad vesiculas seminarias tendentia.
- GGG.** Membranae quibus Vesiculae seminariae & vasa deferentia in suo situ detinentur.
- HH.** Vasa sanguinea ad latera Vasorum deferentium excurrentia, eaque suis ramificationibus amplectentia.
- I.** Caruncula caput gallinaginis representans per cujus quasi oculos semen in Urethram erumpit.
- KK.** Ductus Corporis glandosi in Urethram ad latera Carunculae hiantes.
- LL.** Corpus glandosum in anteriori parte divisum.
- MM.** Urethra aperta.

FIGURA II.

Omnes haec litterae quemadmodum in priori externam, sic in hac internam vesicularum seminalium substantiam exhibent.



TABU.

Y

TABULA VII.

Exhibet præter Vesicam urinariam, Vasa deferentia, Vesiculas feminarias, Corpus glandosum etiam Membrum virile, prout sese à parte posteriore repræsentant, omnia ad dimidium diminuta.

- A. *Vesicæ urinariæ pars posterior cui Intestinum rectum adjacet.*
 BB. *Ureterum portio.*
 CC. *Vasorum semen deferentium portio.*
 DD. *Vasa deferentia capsularum adinstar dilatata.*
 EE. *Vasa ad Vesiculas seminarias excurrentia.*
 FFFF. *Vesiculæ seminariæ flatu distentæ.*
 GG. *Corporis glandosi sive Prostatarum pars posterior, cui Intestinum rectum adjacet.*
 H. *Urethra.*
 I. *Concursus Vasorum deferentium cum Vesiculis seminariis.*
 K. *Musculus Urethram dilatans improprie sic dictus in situ naturali.*
 L. *Idem musculus ad latus diductus.*
 M. *Spongiosa Penis pars Urethræ subjacens.*
 N. *Urethra cum spongiosa sua parte.*
 OO. *Penis corpora nervosa.*
 P. *Glandis pars inferior.*
 Q. *Musculi Penem extendentes seu erigentes improprie sic appellati.*

TABULA VIII.

Exhibet Partes genitales simul cohærentes
 prout à parte anteriore sese repræsentant.

- A. *Vesica urinariæ pars anterior.*
 B. *Collum Vesicæ urinariæ.*
 CC. *Ureterum portiones.*
 DD. *Vasorum semen deferentium portiones.*
 EE. *Vasa ad Vesiculas seminarias excurrentia.*
 FF. *Vesicula seminaria.*
 GG. *Prostatarum sive Corporis glandosi pars anterior.*
 H. *Urethra spongiosa suæ parti adjacens.*
 II. *Urethræ pars spongiosa.*
 KK. *Musculi penem erigentes vel extendentes dicti.*
 LL. *Corporum nervosorum principia ab ossibus pubis separata quæ folliculorum adinstar dum penis inflatur protuberant.*
 MM. *Penis cutis ad latera diducta.*
 NN. *Cutis duplicatura præputium constituens.*
 OO. *Cutis quæ retro glandem annexa fuit.*
 PP. *Penis dorsum.*
 Q. *Glans penis.*
 R. *Meatus urinarius quo Glans in anteriori parte perforatur.*
 SS. *Nervi supra dorsum Penis excurrentes.*
 TT. *Arteriæ supra dorsum Penis excurrentes.*
 V. *Corpora nervosa simul concurrentia.*
 WW. *Venæ duæ quæ simul coeunt & uno ramo insigni per Penis dorsum excurrunt.*
 X. *Vena aperta ut valvulæ in illa conspiciantur.*

Fig. I




Fig. II

Tab. I





Fig. III



T A B U L A IX.

F I G U R A I.

Exhibet Membrum virile à superiori parte usque ad Urethram per medium divisum.

A A. Glans Penis cum ipsis Corporibus nervosis per medium divisa.

B B. Corporis nervosi Penis membrana à se invicem diducta.

C C. Arteria per spongiosam Corporis nervosi substantiam repens.

D D. Membranacea sive spongiosa Penis substantia, per quam arteria ramificationes excurrunt.

E E. Septum intermedium.

F F. Fibrosæ Septi intermedii propagines pectinis ad instar ascendentes.

G. Urethra circa Corpus glandosum abscissa.

H. Urethrae medium.

I. Urethrae finis Glandem perforans.

K K. Urethrae substantia spongiosa.

L L. Corporum nervosorum principia folliculorum ad instar dilatata.

M M. Musc. Penem erigentes vel extendentes dicti.

F I G U R A II.

Exhibet Membrum virile ad latus secundum longitudinem apertum.

A A. Glans nuda.

B. Frenum.

C C. Per-

- CC. Portiuncula cutis à qua reliqua pars, Penem
tegens, separata est.
- DD. Urethra Corporibus nervosis subjacens.
- EE. Corporis nervosi Penis membrana divisa.
- FF. Arteria per Corporis nervosi substantiam spon-
giosam excurrent.
- GG. Corporis nervosi substantia spongiosa.
- HH. Arteriarum abscissarum orificia in Corpori-
bus nervosis conspicua.
- I. Urethra.
- K. Spongiosa Urethra substantia.
- LL. Septum intermedium Corporum nervosorum.

FIGURA III.

Exhibet Membrum virile transversim
divisum.

- AA. Spongiosa sive fibrosa Corporum nervosorum
substantia.
- bb. Arteriae duæ Corpora nervosa perambulantes.
- C. Urethrae meatus urinarius.
- D. Urethrae substantia spongiosa.
- E. Septum intermedium.
- FF. Membrana Corporum nervosorum validissima.
- G. Membrana tenuissima Urethrae substantiam spon-
giosam continens.
- H. Vena insignis per Penis dorsum repens.

F I N I S.



REGNERI DE GRAAF,
MED. DELPHENSIS,

TRACTATUS

DE

CLYSTERIBUS.

REGNI DE GRANA
MED. DEPHENSIS

TRACTATUS

DE

CLYSTERIBUS.

REGNERI DE GRAAF,

MEDICI DELPHENSIS,

TRACTATUS

DE

CLYSTERIBUS.

QUandoquidem nobis in hisce regionibus Praxim Medicam exercentibus quam sæpissime contingere visum sit, quod ægrotantes, maximis atque intolerabilibus intestinorum aliarumque partium doloribus detenti, quos una aut altera Clysteris injectio citò, tutò ac jucunde tollere potuisset, nulla ratione adduci potuerint ut posteriora analytica ad excipiendum Clysterem coram ministro renudarent, sedulo inquisivimus num aliquis modum invenisset quo unusquisque absque pudore vel periculo, sibi met ipsi Clysterem injicere posset, sed frustra; nam omnes modi, quotquot hæctenus

M 2

inven-

inventos novimus, plurimis periculis ac difficultatibus sunt conjuncti, quod imprimis verum esse patebit in illo, qui peragi solet beneficio Syringæ, cui affigitur cannula incurvata ex ebore, ligno vel stanno ea ratione confecta, ut in anum intromitti queat: nam Clyster non ita propelli è Syringa potest, quin Syringa necessario moveatur; cujus motum cum etiam statim insequatur cannula in anum immissa, hinc est quod Intestinum rectum facile lædatur, vel Clyster ad latera ipsius cannulæ erumpat, eoque facilius cum ægri utraque manu ad Clysteris propulsionem indigeant.

Nec minori difficultate ac molestia Clyster injici solet beneficio Vesicæ ab *Hildano* depictæ, cui Cannula aliqua in anum immittenda affigitur; quia Clyster non tam exacte è vesica propelli potest, quin semper aliqua ejus quantitas in ea remaneat, & fortiori compressione, vesica ubi cannulæ affigitur facile dissolvatur, aut rumpatur;

tur; hinc est quod neque ille modus plurimis arrideat, præsertim, cum quemadmodum in priori, utramque manum ita desiderent, ut commode Cannulam in ano retinere non possint.

Cum itaque ab aliis nostræ intentioni aptum non suppeditaretur instrumentum, omnem diligentiam adhibuimus ad illud proprio Marte excogitandum: & tandem post multos labores tale instrumentum confecimus, quod omnibus modis desiderio nostro satisfaceret: est enim istius Naturæ, ut unusquisq; absque pudore tuto & quam facillime sibi met ipsi Clysterem injicere possit, vel permittere ut ab aliis injiciatur absque ulla partium denudatione vel situs mutatione.

Videmur nobis hic audire quorundam Pharmacopœorum querelas, dicentes egregii hujus instrumenti divulgationem, non absque eorum lucri detrimento contingere posse, sed absque fundamento, nam illud lucri quod ex Clysterum injectione perdent

lucrabuntur iterum frequentiori decoctorum præparatione; nam absque dubio tam à Medicis quam ab ipsis ægrotantibus imposterū frequentius in usum introducetur Clysterum injectio.

Præterea non tenebuntur posthac Pharmacopœi foedam ac molestissimam hanc operationem in Dysenteria, Febribus malignis, aliisque morbis contagiosis instituere, neque proinde exigui lucri causa vitam tantis periculis exponere debebunt.

Cum itaque hujus instrumenti divulgatione nos tam apud Medicos, Pharmacopæos, quam apud ipsos ægrotantes, in quorum gratiam omne studium atque laborem nostrum impendimus, gratiam inituros nobis firmiter simus persuasi, ejus descriptionem omnium oculis exponemus. Quod ne nimis nude contingat, dicemus primo Quid sit Clyster, 2. A quibus inventus, 3. Quotuplex, 4. Quænam debeat esse ejus quantitas, 5. Quo tempore sit injiciendus, 6. Quo modo

modo æger fit collocandus, & 7. Quam utilitatem ægrotantibus adferat.

Clyster κλυτήρ, Latinis idem est quod *lavamen* seu *ablutio* à verbo κλύειν, quod & lavare significat; Alio nomine Græcis ἐνδύμα ab ἐνίημι, *infundo*, dicitur, quæ vox Latinis *injectionem* significat, & pro variis remediis exhibendis usurpandisque accipitur: pro alia enim atque alia parte affecta, cui is ut remedium adhibetur, aliam quoque nominis appellationem sortitur; unde *Clyster* alius est *Auricularis*, alius *Vesicalis*, alius *Uterinus*, alius *Intestinalis* & sic porro. Nos autem in hoc Tractatu primario de *Intestinali* dicemus, qui definitur *Medicamentum fluidum quod per anum in crassa intestina injicitur.* & non nisi improprie à quibusdam accipitur pro ipso instrumento, quo medicamentum infunditur.

Hujus medicamenti inventionem nemo mortalium sibi adscribet unquam, quandoquidem non ab homi-

nibus, sed à brutis animalibus instinctu quodam Naturæ introducta sit: legimus enim quod in Ægypto avis sit ciconiæ haud dissimilis Ibis appellata, quæ hominibus omnium primo Clysteris usum demonstravit: dum enim humorum noxiorum copiâ se gravari sentit hoc animal, rostro aquâ marinâ impleto, ea se parte proluit, qua ventris onera reddi maxime salubre est.

Neque hodierni Medici demum ex imitatione hujus avis hoc medicamentigenus in usum introduxere, uti multi sibi falso imaginantur, legimus enim apud *Langium lib. 1. Epist. Med. LXXX.* Clysterum usum non apud Ægyptios modo, sed Græcos & Arabes, in gravissimis morbis frequentissimum fuisse, & unicum non raro subsidium, ad quod tamquam ad sacram anchoram confugerent, non tantum ad alvum expurgandam, uti *Herodotus* refert illos singulis mensibus triduo sanitatis conservandæ gratia intestina diluisse, sed

sed etiam ad alios gravissimos morbos curandos.

Clysterum alii ad alvinas fœces solvendas & excernendas, alii vero aliam ob causam in anum injiciuntur.

Ad alvinas fœces quæ in crassis intestinis herent solvendas & educendas laudat *Solinander* oleum solum, *Aëtius* aquam simplicem, *Galenus* vero aquæ addit mel & oleum; & alii adhuc alia medicamenta magis composita in eundem finem præscribunt.

Nos autem rationes, & avium Naturæ instinctum secuti, judicamus simplicissimo Clystere ex aqua marina, sive simplici, in quâ sal aliquod dissolutum est, vel Urina hominis sani huic intentioni, cum alia ad manus non sunt, satisfieri posse; nam liquores jam descripti suâ humiditate habent vim dissolvendi excrementa indurata, & acrimonia salina vim obtinent intestina irritandi ad dissolutorum expulsionem, quæ duo solummodo ad excrementorum expulsionem desiderantur,

Vidimus aliquando, Clysteribus, ex plurimorum medicamentorum congerie decoctis & additis electuariis, oleis aliisque usitatis, nihil operantibus, Clysterem ex aquâ, melle & sale confectum, optime operatum fuisse: quod à multis pro secreto haud vulgari habitum est.

Attendant quæsumus ad hæc Practici, ii præsertim qui inter pauperes aliquando praxim exercere tenentur, & discant quam exiguis sumptibus eorum calamitatibus succurrere possint.

Clysteres vero qui præter alvi dissolutionem alium adhuc in scopum collimant, ex variis simplicibus ac compositis conflari solent, & propter facultatem quam obtinent alii dicuntur Emollientes, alii Purgantes, alii Adstringentes, alii Anodyni, alii Detergentes, alii Discutientes, alii Consolidantes, & alii denique Nutrientes ab authoribus nominantur.

Emollientes simpliciter dicti, sunt vel simplices vel compositi. Simples dicun-

dicuntur quatenus ex una simplici materia constant, v. g. ex lacte, aqua tepida, jure vervecino, &c. Compositi vero sic appellantur quatenus ex variis emollientibus componuntur, ut malva, althæa, violaria, branca ursina, parietaria &c. quæ in aqua simplici vel lacte aut alio liquore emolliente concoquuntur, quorum decocto postea additur oleum simplex, violaceum, amygdalarum dulcium, butyrum &c.

Purgantes quandoque componuntur, quatenus in decocto emollienti adduntur folia fennæ, rhabarbarum, mechoacanna &c. electuarium diaphe-
nicum, confectio hamech & alia purgantia à practicis passim descripta.

Utrum vero folia fennæ, rhabarbarum & alia purgantia in Clysteribus tantum præstent quantum multi sibi imaginantur, aliis judicandum relinquimus, nos autem existimamus drachmam unam aut alteram salis cum melle plus præstare quam integram unciam foliorum fennæ, quandoquidem inte-
stina

7 fſina melius irritant ad excremento-
 7 rum propulſionem quam folia ſennæ
 7 & reliqua purgantia nulla acrimonia
 7 prædita.

Adſtringentes conficiuntur ex de-
 cocto radicum biſtortæ, corticum gra-
 natorum, baccarum myrthi, foliorum
 plantaginis, tapſi, caudæ equinæ; flo-
 rum roſarum rubrarum, balauſtiorum,
 &c. cui additur interdum maſtix, bo-
 lus armena, ſanguis draconis, amyllum
 aliaque ſimilia, quæ nullam pinguedi-
 nem habent; quia omnia oleoſa & pin-
 guia adſtriſioni ſunt contraria.

Dolorem ſedantes ſeu Anodyni di-
 cti Clyſteres componuntur ex emol-
 lientibus ſuperius enarratis, addendo
 flores meliloti, chamomillæ, croci,
 ſemen lini, althææ, fœnigræci, pa-
 paveris, & alia anodyna, quorum ali-
 qua vel plura pro re nata concoquun-
 tur in jure vervecino vel lacte vaccino
 quantum ſatis, colaturæ adduntur vi-
 telli ovorum, & in extremis dolori-
 bus philonii Romani drachma una,
 vel

vel laudani opiatī gr. quinque & plura.

Sed quoniam intestinorum dolores, à variis causis dependent, alii enim proveniunt ab acrimonia humorum salina, alii ab acrimonia humorum acida, alii ab inflammatione, alii ab intestinorum distentione & sic porro, prudentis Medici erit causis appropriatis diversa Enemata sive Clysteres præscribere, quandoquidem omnes calcare eodem calceo non liceat.

Detergentes ordinario à Medicis præscribuntur ex hordeo, furfure, rosis, beta, mercuriali, agrimonia, centaureo minori, lupinis contritis, melle rosato, saccharo cando vel simplici, & aliis detergentibus ab authoribus passim descriptis, si vero ulcera intestinorum adsint, præferenda ea quæ simul exsiccandi & astringendi vi prædita sunt.

Discutientes sive Carminantes componi solent ex origano, ruta, calamintha, floribus chamomillæ, meliloti, anethi, semine anisi carui, fœniculi,
cumi-

cumini, baccis lauri & aliis, quæ vim habent flatus discutiendi.

Consolidantes similiter componuntur ex consolida majori, plantagine, alchymilla, pyrola & aliis vulnerariis, quæ concoquuntur ex lacte dulci, postea addendo vitellos ovorum, serum hircinum, therebinthinam in ovi vitello dissolutam, balsamum sulphuris &c.

Jam enumerati Clysteres singulis partibus appropriari posse creduntur, si specifica quædam addantur, sic v. g. si cephalica in illo excoxeris, cephalicus, si stomachica stomachicus, si splenetica spleneticus, & sic à reliquis specificis, quæ illis immiscebuntur, diversum nomen obtinebunt Clysteres.

Ex jam dictis etiam sufficienter patet quomodo refrigerantes aut calefacientes Clysteres sint componendi, qui vero horum & aliorum Clysterum formulas ac ingredientium cumulum desiderant, adeant *Rondeletium* de Medicamentis internis, *Weckerum* de Clyste-

Clysteribus, *Sennertum* & alios, qui satis prolixè earum descriptiones proponunt.

Quandoquidem homo omni quandoque cibo defraudatur, nihilque assumere potest; vel quod omnibus modis cibum aversetur, vel quod assumptum continere aut deglutire non possit; merito petitur an non viribus deficientibus ob nutrimenti inopiam subveniri queat, si alimenta aliorum Clysterum more in anum intromittantur? qui affirmativam sententiam defendunt, dicunt non esse necessariù ad chyli elaborationem ut alimenta in Ventriculo fermententur, quandoquidem ipsa intestina chylum concoquendi vim obtineant; & volunt tales Clysteres majori quantitate ac vi in anum propelli, quam ordinario fieri solet, ut sic Clysteres ex vino, cremore hordei, lacte dulci, jure vervecino, vitellis ovorum &c. conflati altius ascendentes, melius ab intestinis tenuibus concoquantur.

Sed

Sed his responderi posset, id quidem verum esse de alimentis liquidioribus ac facilis fermentationis, nullo modo de crassioribus & difficilis concoctionis idem dici posse; & licet de illis hoc etiam vere diceretur, necdum tamen suam sententiam inde probare possent; quandoquidem Clysteres quacunque etiam vi injecti, naturaliter non ascendunt ultra crassam intestina, propter valvulam in fine intestinorum tenuium à *Bauhino* repertam; quæ tam accurate claudit viam ne aliquid ex crassis intestinis ad tenuia ascendat, ut si follibus intestina crassa in hominibus, porcis &c. distendantur, nihil flatuum ad intestina tenuia peringat: atque sic frustra injectorum alimentorum concoctio tenuibus intestinis adscribetur; frustra pariter Clysteres à ventriculo attrahi statuuntur, atque proinde omnia quæ inde deducuntur lubrico stant talo & debili admodum nituntur fundamento.

Quæcumque igitur alimentis per
 anum

anum injectis mutatio accidit, illa in intestinis crassis inter alvinas fœces peragi debet. Et quomodo hæc alimenta in sterquilinio illo præparata, ad reliquas corporis partes pertingant, merito interrogari potest, quandoquidem nullæ vel non nisi paucissimæ venæ lacteæ ad intestina crassa pertingant; unde necessario illud alimentum, quod inde Cordi aut reliquis corporis partibus communicatur (cum alia via non detur) per venas Mesaraicas transire tenetur, quod cum à multis pro impossibili habeatur, hinc est quod ulteriori probatione eorum sententia opus habeat. Nos autem nunquam satis clare probare potuimus, Chylum per venas Mesaraicas ad Cor ascendere: vidimus quidem excitata in intestinis effervescentia inter oleum vitrioli & oleum tartari per deliquium, aliquando una cum vasis lacteis venas Mesaraicas inflatas fuisse, sed an hoc sufficienter probet Chylum naturaliter per venas Mesaraicas ad

Hepar & sic porro ad Cor transire, nos affirmare non audemus.

Quidquid sit, ex dictis sufficienter patet Clysteres nutrientes, non tantum corpori usum præstare quantum multi sibi finxerunt. Nolumus tamen negare illos aliquod corpori robur adferre posse; quia videmus indies quod languidi spirituosus restituantur, & vires deficientes odorem suavis conferentur; de quibus *Hippocrates lib. de aliment. quicumque veloci appositione indigent, his humidum ad resciendas vires medicamentum optimum. Quicumque adhuc velociori indigent, per olfactus. Quibus autem tardior appositio est necessaria, solido alimento utantur.*

Refert item *Diog. Laërtius lib. IX.* de morte *Democriti*, quod soror ejus, ne in celebritate *Cereris* moreretur, eum adhuc per triduum odore panis calidi sustinuerit; & de eo sequenti modo ludit.

Quisnam tam sapiens visus qui tale patravit

*Unquam, quale sciens omnia Democritus?
 Qui per tres tenuit præsentia fata dies, &
 Illa recens coeli panis odore aluit.*

Si itaque materiæ injectæ pars subtilior per intestinorum poros transiens cum sanguine ad Cor rapiatur, illud aliquammodo reficere, non tamen nutrire poterit, quandoquidem ad nutriendum præter partes spirituofas & facile dissipabiles, adhuc aliæ requirantur, quæ, quomodo sufficienti quantitate Cordi suppeditari possint, nos latet.

Diximus superius *naturaliter* nihil ex intestinis crassis ad tenuia intestina ascendere, quia experientiâ multorum compertum est, aliquando præternaturaliter, motu intestinorum peristaltico inverso & relaxata *Bauhini* Valvula, Clysteres per vomitum ejectos fuisse, ut videre est in *Galeno*, *Sennerto*, *Pareo*, *Bartholino* & aliis, quorum aliqui etiam suppositoria vomitu rejecta fuisse asserunt. Sed notatu dignum est quod scribit *Sennertus præct. lib. III. part. II. sec. I. cap. I. de quadam*

puella annorum duodecim, quæ ileo laborans, non solum nihil per alvum reddidit, sed & fœces, & postea etiam Clysteres injectos non multo post vomitu per os rejecit. Idque cum per totum triduum continuasset, & postea suppositorium longum inmissum fuisset, & illud intra temporis spatium, quod dicitur Pater noster & Ave Maria, ut loquitur *Mattheus de Gradib.* hujus observationis author, per intestina ascendit ad stomachum, & vomitu fuit rejectum. Postea cum suppositorium aliud filo alligaretur, statim rupto filo ascendit sursum ad stomachum, illudque ægra cum parte filii appensi evomuit. Et cum tertio suppositorium aliud quatuor filis fortioribus alligaretur, & illud paulo post ruptis filis per os cum parte filorum rejectum fuit, tandem cum Medicus juberet ut mater aliud suppositorium mitteret, tanta violentia sursum attractum fuit, ut mater, ne sursum raperetur, illud extrahere cogereetur.

Curata

Curata tandem fuit ista puella, ut referunt, jusculis pinguioribus, acrimoniam temperantibus, exhibitis.

Quantitas Clysteris pro ratione ætatis variat, nam Infanti primum unciaë tres, hinc paululum adultior unciaë quatuor, quinque vel sex sufficiunt, Adultis plerumque libra una & amplius præscribitur, hac tamen animadvertione, Primo ut in gravidis grandiori fœtu Clysteris minor sit quantitas; nam præterquam quod comprimit fœtum, statim, quasi etiam comprimente fœtu, expellitur. Secundo Renibus calculo vel inflammatione laborantibus non sit etiam Clysteris magna quantitas, ne scilicet repletis nimium intestinis, comprimendo dolorem adaugeat. Tertio in quibus flatibus maxime intestina turgent etiam diligenter attendendum ne Clyster magnus aut magna vehementia injiciatur, ne scilicet in angusta loca propulsus, intestina adhuc magis distendantur, indeque dolores vehementis-

fimi excitentur. Satius enim est in prædictis casibus dimidiæ libræ quantitatem cum fructu infudisse, quam integram libram absque utilitate præscripsisse.

Clysteres neque frigidi neque ferventes in anum sunt injiciendi, sed temperate calidi, calidiores vero si quando multa pituita obsessa, aut flatibus torqueri intestina constat, non tamen ita quin retinere illos commode queant. Frigidiores autem injiciendi sunt in febribus ardentibus & aliis morbis, ubi refrigeratione opus est. In prægnantibus ne nimium calentes indantur, solent enim habere intestina sensu maxime prædita, unde sæpe absque utilitate statim post injectionem rursus expelluntur, quod in omnibus fieri observatum est, quibus exquisito sensu intestina prædita sunt; quorum debilitati ut succurratur, statim post injectionem aliquo manus conatu anus comprimendus est, & præterea admonendi sunt ut muscolum

lum Sphincterem quantum possibile est constringant.

Tempus injiciendi Clysteres quod attinet non tam accuratam Medici attentionem desiderat, quam cathartorum exhibitio; à qua ut scribit *Masfarias* f. m. 688. priscis temporibus usque adeo Medici ante humorum concoctionem abhorruerunt, ut vel lenientibus raro admodum uterentur, si quidem pro illis Clysteres consueverunt adhibere, qui cum humorum concoctionem non impediunt, tam in principio, augmento, statu, quam declinatione morbi tuto adhibentur.

Infundi licet etiam Clysteres possint absque discrimine qualibet hora diei, nos tamen existimamus commodissime, modo necessitas citius immittendi non urgeat, duabus vel tribus horis ante cibum illos applicari posse; ne scilicet ventriculi coctio plus minus deturbetur.

Retulit nobis doctissimus *D. Fabre* apud Parisienses Practicus foelicissimus,

mus, se cum bono successu ægrotantibus suis post paroxysmum febrilem sæpissime Clysterem præscribere, ut scilicet intestina ab excrementitiis humoribus, qui tempore paroxysmi in illa ablegati fuere, ea ratione liberentur.

Detinendi vero tempus non unum idemque est, sed pro Clysterum diversitate plurimum variat, nam quibus abluendi & extergendi vis inest, hi supra horæ dimidium in corpore haud retineantur. Dolorem vero mitigantes longiori tempore detineri debent, & omnium longissime quibus glutinandi facultas inest. Qui vero purgandi vim obtinent, sua sponte erumpere solent, quod si tamen nimis diu in corpore detineantur, glandem supponere convenit, ut intestinum crassum irritetur ad celeriores contentorum expulsionem.

Quodnam in latus decumbendum sit ægrotantibus, eo tempore quo Clysteres injiciuntur, non conveniunt inter

ter se Practici; alii namque in dextrum, alii vero in sinistrum latus majori cum fructu ægrotantes suos decumbere judicant.

Qui in latus dextrum decumbere majori cum fructu ægrotantes volunt, dicunt clysterem facilius intestina crassa perambulare, quatenus tunc non comprimitur intestini coli principium in sinistro latere situm, quemadmodum aliorum intestinorum quasi pondere & mole illud opprimi putant si in latus sinistrum decumbant.

Qui vero in sinistrum latus decumbere suos ægrotantes jubent, existimant intestina crassa non tam facile ita comprimi posse, quin Clyster satis superque penetret, ac proinde cum intestinum rectum figura sigmoidea flectatur versus latus sinistrum, facile Clysterem per intestinum crassum sub ventriculo excurrere; quod pro impossibili existimant, si in latus dextrum decumbant; tunc enim prius injectus Clyster ob situm intestini ascendere

N 5 debet

debet in latus sinistrum antequam reliquam intestini coli partem perambulet.

Nos autem ad illam litem determinandam, secundum eam corporis humani notitiam, quam ex variis cadaverum dissectionibus adepti sumus, judicamus non multum differre in quodnam latus ægri decumbant: si tamen aliquis situs corporis nobis eligenduseffet, illum eligeremus qui fit in dorso, nam tunc nec intestinum crassum in latere sinistro situm, ita comprimetur, neque ita ascendere Clyster tenebitur, quemadmodum fieri existimant si in alterutrum latus decumbant. Et ut adhuc facilius Clyster ad omnes intestini Coli partes pertingat, suaderemus aliquando in latus sinistrum, paulo post vero in latus dextrum, sese vertant ægri, ac deinde eo in latere quiescant, in quo maxime doloris molestiam persentiunt.

Nec est quod simus solliciti, qua ratione decumbentibus in dorsum Clyster

ster injici queat, quandoquidem id instrumento à nobis postmodum depingendo quam facillime peragi possit.

Ufus Clysteris quod attinet, is tantus est, ut nulla sit corporis pars, ad quam fructus aliquis ex administrato Clystere non perveniat; sed ad has & illas plus minusve, pro ea quam cum intestinis crassis habent vicinitate.

Maxime tamen omnium conducunt Clysteres vitiis intestinorum, ut Tenesmo, Doloribus Colicis, Alvi fluoribus, Exulcerationibus, vermibus &c. Conducunt quoque plurimum in affectibus Renum, Vesicæ, Uteri, Mesenterii, &c. Imo etiam Capitis affectibus Clysteres multum prodesse quotidiana confirmat experientia: Utrum hoc per attractionem humorum noxiorum à Capite versus crassa intestina contingat vehementer dubitamus; quandoquidem, quibus mediis illud contingeret, necdum percipiamus; malumus proinde cum quibusdam statuere Clysteres Capiti pluri-

plurimum prodesse, quatenus ab excrementitiis humoribus intestina liberant, atque impediunt quo minus ab illis vapores ad caput ascendant, quam quod humores noxios ad se trahant.

Febribus omnibus, præsertim acutis, Clysteris usum maxime utilem esse affirmant cum Galeno uno ore omnes, quotquot hactenus praxi operam dedere; & utuntur in iis quodam genere Clysteris Commune appellatum, quod conficitur ordinario ex decocto foliorum malvæ, mercurialis, betæ, violarum; ex melle vel saccharo & sale.

Hic bene notandum primo minus recte prædicto Clysteri oleum aut alia pinguia à quibusdam admisceri, propter vim calefaciendi quam obtinent. Secundo Clysteribus, qui ad alvum irritandam præscribuntur pariter minus recte pinguia adjungi, quoniam medicamentorum irritantium vim ita obtundunt, ut quod alias egissent, tunc

tempo-

temporis peragere non possint. Tertio
 addi Clysteribus sæpe numero majori
 cum damno quam fructu pulpam cas- ^{NB.}
siæ ; quia si parva dosi admisceatur ni-
 hil aget, si vero magna dosi id fiat, Cly-
 sterem pultaceum efficiet, atque alio-
 rum medicamentorum operandi vir-
 tutem impediet, quemadmodum id
 optime in collegio suo practico nos
 admonuit *D. Isbrandus de Diemer-*
broeck Praxeos & Anatomix Profes-
 sor in Academia Ultrajectina dignissi-
 mus; qui præterea, cum sub ipsius au-
 spicio studia nostra Medica primo in-
 choarem, nos corporis humani no-
 titiam tam bene edocuit, ut si quos in
 præclara ejus scientia progressus fece-
 rimus, illos ipsi primario debeamus.

Diligenter quoque attendendum
 est, ne Clysteres, quos ex malva, althæa,
 mercuriali, violaria, beta & similibus
 decoctis passim Pharmacopæi confi-
 ciunt atque Communes appellant,
 rancidi & corrupti exhibeantur; facile
 enim contingit ut decocta illa com-
 munia,

munia, quæ semper in promptu habent, corrumpantur, quoniam æstivo tempore non ultra diem aut alterum incorrupta permanent, licet Pharmacopæi beneficio olei se illa diutius servare posse profiteantur, quæ tamen si rite examinata fuerint, putrida & male olentia esse deprehendentur, quo nidore sæpe numero dolores Capitis, tormina Ventris, Uteri commotiones & similia incommoda excitantur; quare præstat recens decoctum præscribere & admonere Pharmacopæos ne loco sacchari & mellis syrupos jam corruptos Clysteribus addant, quia non minora incommoda præstant ægrotantibus quam decocta corrupta.

Usum præterea non exiguum habent Clysteres, si, quando alvus admodum adstricta est, & purgatio ore assumenda necessaria videtur, primò levi quodam Clystere emolliatur, ne scilicet duriores alvi fæces dejectionem impediant; nam expulsi ad inte-

stina

stina humores, languescente purgationis vi, si ibi, propter fœcum alvinarum duritiem & accumulationem, detineantur, nonnunquam tormina, cruciatus colicos, animi deliquia, vertigines & alia gravissima symptomata concitant. Id videtur intellexisse Hippocrates dum scribit, *corpora si quis purgare voluerit, fluida faciat oportet aphorif. 9. sec. 2.* Cum autem plurimis modis corpus fluidum fieri possit, Clysteres hic non sunt contemnendi, & hoc consilium laudat Galenus *sec. 4. de victu acuto & aphorif. 70. sec. 7.* scribit Hippocrates *corpora ubi quis purgare voluerit, fluida facere oportet. Et si supra velis fluida facere, sistere alvum, si vero infra humectare.* Non potest autem alvus commodius quam usu Clysteris humectari. Sic Galenus quoque, inter causas quare purgatio non recte succedat hanc recenset. *Plerumq; inquit stercus densatum atque in aliquo intestino exsiccatum evacuationem prohibet.*

Hinc

Hinc colligere est quam male faciant ægrotantes, qui summè debiles malunt purgantia medicamenta assumere, quam Clysterum injectionem permittere; nam hac ratione & vitam propriam & Medici famam multis periculis exponunt, nam si fortè talis eger moriatur, uti hoc aliquando per purgantia assumpta contingere potest, num quid Medicus eum ad orbem mississe audiet? prætat proinde ut inquit *Solinander p. m. 35.* plures ex ordine reiteratos Clysteres admittere, quam vel unam qualemcumque etiam levem potionem assumere.


Præter jam dicta Clysteris usum adhuc magis laudabilem reddit, quod hoc medicamento genus ordinario absque perturbationibus alvum liberam fervet, valetudini non obstat, vires non dejiciat, & viscera non afficiat, item quod post ejus usum alvus non ita constipetur quemadmodum post purgantia contingere videmus. nam quanto magis ægrotantes cathartics

ticis sunt vacuati, tanto illis venter sequentibus diebus magis adstringitur. Hinc *Galenus* in diuturnis morbis non acribus per inferiora infusis, sed lenientibus utitur; imo senibus, qui natura sunt frigidi & sicci, maxime oleum injectum prodesse scribit.

Cum itaque maximis sæpè doloribus Clysteres promptum, tutumque remedium, & præsens juvamen ægrotantibus adferant, omnem diligentiam adhibuimus ad inveniendum modum, quo absque pudore ægrotantes sibi met ipsis Clysteres sive enemata injicere possent, atque tandem invenimus tale instrumentum, quo non solum injectiones in anum, verum etiam mutata solummodo cannula in Uterum & alias corporis partes quam commodissime institui possunt, absque ullius doloris aut periculi metu.

Simili etiam modo confecimus instrumentum ad chirurgiam transfusoriam peragendam, quam hic Delphis antehac in præsentia plurimorum cu-

riosorum per tot calamos anatum sibi invicem immisos ut tubulum satis longum constituerent, foeliciter instituimus; sed adhuc longe foeliciter institueretur hoc nostro instrumento, quod componitur ex alicujus aviculæ intestino decem vel duodecim digitos transversos longo, cui ab utraque parte affixus est calamus anatis vel alterius animalis, cujus beneficio absque difficultate in vasa sanguinea intronmittitur; nam præterquam quod hac ratione omnes pulsationes, admovendo solummodo leniter manum intestinulo, enumerare possimus, etiam sanguinis motus leni compressione pro lubitu impediri potest. Atque hoc instrumento recte præparato longe facilius sanguis ex uno animali in aliud transfundi potest, quam illo, quod ex argento vel ære Parisiis ad illam operationem peragendam conficiunt; quia cum hoc instrumento, ex medio flexili confecto, non tenentur animalia eundem corporis situm servare,



vare, quemadmodum cum altero, quod ex medio rigido constat. Sed hoc solummodo per transfennam dictum esto, quandoquidem non Chirurgiam transfusoriam, sed quædam curiosa ac scitu necessaria de Clysteribus proferre decrevimus, ne nimis nudum proponeremus nostrum instrumentum, cujus partes in sequentibus explicare conabimur.

A. Cannula est ex ligno confecta, quæ in anum intromittitur, non vulgarium Clysterum, quia illi ordinario in nimis magnam longitudinem excedunt, quod non solum inutile, verum etiam periculosum est; nam sufficit ut solummodo parum supra musculum sphincterem superior pars b. variis foraminulis perforata ascendat, quod longitudo Cannulæ hic depictæ sufficienter præstat, cujus inferior pars c. ita fabricata est, ut in anum immissa eum exacte claudat, atque impediât quo minus aliquid ad latus Cannulæ erumpat.

B. B. B. B. Funiculus est tenuis ad

unius vel duarum ulnarum longitudinem extensus, constans ex materia admodum flexili & in medio foramine quodam per via, per quod Clyster è Syringa propulsus tam facile atque celeriter per ambulat quam per Cannulam absque intermedio Syringæ affixam. Eandem fere figuram obtinet hic noster funiculus, quam ille, quem Angli ad fumum tabaci in anum inflandum ante aliquod tempus in usum introduxerunt.

C. Instrumentum est ex ligno confectum, cujus parti inferiori d. Funiculus noster firmissime annectitur: pars vero superior e. quæ vulgari Syringæ affigitur, instar infundibuli excavata est, ut Clyster facilius in funiculum propellatur.

Hoc instrumento jam præparato, Syringa vulgaris more ordinario Clystere temperati calido adimpleatur, & adaptato Syringæ instrumento C. liquor eousque propellatur, ut aliquid ex Cannula A. erumpat, idque eum in finem ne flatus in anum immittantur.

tur. Hoc facto Cannulæ pars b. sæbo candelæ obliterata in anum immittatur, in eoque una manu detenta, altera manu Syringâ pectori impositâ Clyster propellatur in alvum. Vel Cannula A. funiculo BBBB. affixa decumbenti in lecto sub tegumentis exhibeatur, ut illam in anum immittat; quod facile peragitur propter funiculum flexilem cannulæ affixum. Cannula in anum intromissa, æger se in dorsum vel latus pro lubitu deponat, atque ministrum admoneat: ut è Syringa, quæ extra lecti tegumenta est, Clysterem propellat, quod tam commode peragitur, ut nullus ægrotantium meorum à Clysteribus amplius abhorreat, imo quod magis est, illi, qui antea nulla ratione adduci poterant ad Clysteris injectionem, jam sponte ut purgationis loco Clysterem præscribamus à nobis expostulant.

Hæc sunt quæ in præsentiarum nobis de Clysteribus dicenda occurrunt, si vero postmodum adhuc alia, quibus

bonum publicum promoveri potest,
excogitare possimus, non deerimus
ea orbi litterario exponere.

F I N I S.



REGNERI DE GRAAF,
MED. DELPHENSIS,

TRACTATUS

DE

Usu Siphonis in Anatomia.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF CHICAGO
300 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637

REGNERI DE GRAAF
MED. DREPHENSIS

TRACTATUS

De
Symptomata in febre.

REGNERI DE GRAAF,

MEDICI DELPHENSIS,

TRACTATUS

DE

Usu Siphonis in Anatomia.

ELapsis jam quinque circiter annis, dum in Academia Lugduno-Batava investigationi corporis humani plurimum incumberemus, excogitavimus atque in usum Anatomicum introduximus instrumentum, quod, propter egregium usum, quem humani corporis perscrutatoribus præstat, hic describendum duximus; non solum ut veritas eorum, quæ in Tractatu nostro de Testibus aut Succo Pancreatico nunc vel alias proposuimus, magis elucescat; verum etiam ut omnes, quicumque diligentiam quâdam ducti, intimam Naturæ cursum corporis humani investigare conantur, majori

vidiup O 5 cum

cum facilitate detegendo & eruendo è tenebris Naturæ arcana, bonum publicum nobiscum promovere queant. Quod ut melius contingat, aliquot demonstrationes difficiles, quæ hoc instrumento facili negotio peragi possunt, paucis enarrabimus.

Norunt omnes quam difficile sit vasorum divaricationes per omnes corporis partes addiscere, & quantum cum labore ac difficultate Anatomiae Professores, denudando hæc vasa à principio usque ad finem, discipulos suos eorum progressum & excurrendi modum edocere teneantur, quod tamen hujus instrumenti beneficio tam exiguo labore ac difficultate peragi potest, ut iis, qui vel tantillum in Anatomia sunt versati, unius diei spatio omnium totius corporis Arteriarum, venarumque propagines demonstrare possimus. Quod cum fiat liquoribus quibusdam coloratis beneficio Siphonis in vasa immisis, dicemus primo quomodo liquores illi conficiantur, & quibus

quibus ordinario ad demonstrationes nostras peragendas uti consueverimus.

Paratur egregia tinctura cærulea si in spiritum salis ammoniaci obulum vel limaturam æris infuderis. Vel si hujus tincturæ conficiendæ modus nimis pretiosus ac difficilis sit, extrahatur solummodo beneficio liquoris vulgaris tinctura ex floribus v. g. violarum, ciani, rosar. &c. Et hæ tincturæ omnes, quotquot hætenus examinavimus, per oleum tartari per diliquium virides evadunt, per aquam calcis vivæ, nisi nos fallat memoria, colorem cæruleum acquirunt, & per affusum oleum vitrioli adhuc aliter immutantur: si itaque una solummodo tinctura ad manus habeatur, varii statim colores ob hujus vel illius additionem confici possunt. Qui vero floris cujusdam tincturam in promptu non habent, capiant solummodo guttam gambam & indigo cærul. quibus tres egregiæ tincturæ conficiuntur, nam gutta gamba flavo, indigo vero cæruleo colore aquam

quam tingit. Harum tincturarum partes aliquæ simul confundantur, ex earum permiftione color viridis exfurgit, qui ad demonstrationes nostras peragendas perquam utilis est. Et quia ultimæ jam descriptæ tincturæ exiguo cum labore præparari possunt, neque instrumentum lædunt, quemadmodum spiritus salis ammoniaci, ideo ordinario à nobis in vasorum examine usurpantur.

Tincturis ita præparatis, quicumque arteriarum Carotidum divariationes cognoscere cupiunt, immittant tubulum in illarum arteriarum principium, & beneficio Siphonis liquorem v. g. viridem versus cerebrum propellant, & videbunt omnes partes, tam internas, quam externas, quæ ab arteriis carotidibus sanguinem accipiunt, colore viridi tingi; quod jucundissimum spectaculum in cerebro exhibet, cujus superficies tam dextra quam sinistra, propter anastomosis, quam inter se habent utriusque lateris

teris arteriæ ab injecto colore viridi plurimas quasi arborum figuras repræsentare videntur, quæ non sunt nisi arteriarum ramificationes per cerebrum excurrentes.

Hinc statim determinare possumus, si tantum exigua tincturæ quantitas impulsæ fuerit, omnia vasa viridi colore tincta arteriarum propagines esse; quod alias perquam difficulter cognoscitur; nam omnes arteriæ statim ac Cranium penetrarunt unam tunicam derelinquunt, & simplici tunica, venarum ad instar, per cerebrum excurrunt; hinc est quod aliqui etiam dixerint nullas reperiri arterias in cerebro.

Ut adhuc magis pateat hujus instrumenti nostri utilitas, accipienda erit arteria, quæ variis corporis partibus propagines suas largitur, ut arteria Coeliaca, & immisso similiter liquore virescente in ejus principium, videbitis omnes partes, sive viscera, quæ ab illa arteriosum sanguinem accipiunt, colore

colore viridi tingi; quo facto immitatur etiam tubulus in arteriam Mesentericam, & propulso in eam liquore flavescente, omnes partes, quæ ab illa arteria sanguinem arteriosum accipiunt, colore flavo tingentur: unde statim determinare possumus omnia viscera quæ colore viridi tincta conspiciuntur ex Arteria Cœliaca, & quæ flavo colore imbuta cernimus, ab Arteria Mesenterica originem sumere.

Atque sic exiguâ difficultate artieriarum totius corporis divaricationes parvo temporis spatio quisque addiscere potest.

Valet etiam hic noster Siphon ad demonstrandam per singulas corporis partes sanguinis circulationem, ut ex sequentibus patebit.

Si major liquoris quantitas, quam ad artieriarum cognitionem necessariam esse diximus, in Arterias Carotides propellatur, redibit, postquam per vasa Cerebri circulatus est impulsus liquor, per venam Jugularem.

Impulso

Impulso liquore in Arteriam Pulmonarem, expulso prius sanguine, redibit statim per ejusdem nominis venam in sinistrum Cordis ventriculum.

Item impulso liquore in Arteriam Renalem, vulgo emulgentem dictam, circulabitur per totam Renis substantiam, & redibit per venam Renalem in venam Cavam, nullâ, vel non nisi exiguâ liquoris quantitate per Ureteres versus vesicam excurrente, ex quo patet requiri ad serum à sanguine fecernendum certam Humorum & Renis dispositionem.

Similiter impulso liquore in Arteriam Mesentericam, expulso prius sanguine redibit per venas liquor, nihilo per crustam intestinorum internam erumpente, cujus contrarium accidit, si crusta illa primo abradatur; nec mirum, quoniam crusta illa, magna sui parte, nobis componi videtur ex osculis vasorum, præsertim lacteorum, in intestino protuberantibus, quæ eo
tem-

tempore, quo alimenta in ventriculo fermentata per Intestina transeunt, ita inter se agitata fuisse vidimus, dum Parisiis in aula Ducis Aurelianensis, præfente ejus Medico Domino *Fabre* & quibusdam aliis, canem diffecavimus, ut crustam illam intestinorum vermicularem appellandam esse judicaverimus, quæ appellatio, propter motum mirabilem, quem in eo nobiscum conspiciebant, eruditissimis illis viris ita placuit, ut ei calculum apposuerint.

Abrasio itaque cum illis protuberantiis vermicularibus vasorum sanguineorum extremitatibus, impulsus per Siphonem liquor in cavitationem intestinorum erumpat necesse est. Eadem etiam ratione Dysenteriam contingere existimamus, quatenus scilicet officina vasorum jam descripta ab acrimonia humorum ita abraduntur ac consumuntur, ut sanguis ex extremitatibus vasorum apertis erumpat, quem ideo cum tantis intestinorum doloribus excernunt ægrotantes, quia
acri-

acrimoniam humorum adhuc conjunctam habet.

Impulso liquore in Arteriam Cruralem, prodibit primo per Venam Cruralem sanguis, & statim sequetur impulsus liquor, idque tanta quantitate ac vi, quanta per arteriam impulsus fuit: idem cum etiam contingat in Testibus ac aliis corporis partibus, plura ejusdem experimenti exempla non adferemus.

Per nominatas hactenus vias facili negotio & absque compressione notabili pertransit impulsus liquor, quod non contingeret, si contrario motu humores naturaliter in corpore moverentur, uti hoc clare videmus si per venas beneficio Siphonis liquorem versus corporis extrema propellere studeamus, nam valvularum situs motum Naturæ contrarium impedit.

Ex quibus inter alia sanguinis circulatio adhuc magis confirmatur, quæ ratione sequenti per minimas corporis partes satis clare demonstratur. Si di-

Etam circulationem per exiguam aliquam glandulam aut musculum demonstrare velimus, tubulus immittatur in arteriam quæ versus illam partem excurrit, quod si propter arteriæ tenuitatem prope partem illam fieri non possit, aliquantulum ab illa, ubi scilicet, arteria major est, tubulus immittatur, ligeturque, & si inter tubulum & partem illam aliquot rami laterales conspiciantur, omnes diligenter filis tenuioribus ligentur, ita ut tantum arteria, quæ ad partem illam, per quam humorem circulari velimus, pertingit, libera remaneat, & videbimus impulsus per arteriam liquorem per venam ejusdem partis redire.

Notatu dignum est omnes totius corporis partes colorem rubicundum majorem vel minorem à majori vel minori sanguinis quantitate in illis existente originem ducere, nam expulso per Syringam ex illis sanguine, nullam in illis amplius rubedinem conspicias, sed colorem liquoris impulsus

pulsi referent; ita ut, si colorem nigricantem in Arteriam Cruralem dextram cujusdam canis mortui infuderis, totum crus colore subnigro melancholico dicto tingatur; si vero in Arteriam Cruralem sinistram colorem flavum propuleris, totum crus sinistrum colore flavescente sive icterico inficietur. Similiter si in vasa Hepatica beneficio ejusdem Siphonis lac in tanta quantitate infuderis, ut sanguine expulso omnes Hepatis partes occupaverit, Hepar albi coloris evadet; & rursus viridem colorem acquirat, si virescentem liquorem in ejus vasa infuderis, quia Hepar semper liquoris, quem continet colorem, refert: unde patet deceptos fuisse quotquot hactenus judicarunt sanguinem rubicundum suum colorem habere à rubicundo colore hepatis: quod ut adhuc magis pateat, inspiciantur nonnullorum piscium hepata albicantia, qui nihilominus sanguinem habent rubicundum, quod non contingeret, si colo-

rem suum rubicundum ab hepatis colore acciperent.

Ex jam dictis etiam patet, qua ratione incruenta dissectio in vivis animalibus institui possit, nam si denudata arteria & vena crurali ambæ quam alte fieri potest ligentur, & infra ligaturam apertis, in arteriam cruralem tubulus immittatur, per eumque beneficio Siphonis aqua tepida tam diu impellatur, donec non amplius colore sanguineo tincta per venam erumpat; extracto tubulo pars illa aliquantulum manibus comprimatur, ut aqua impulsiva quantum fieri potest per venam exeat, hoc facto & cutis apertione subtiliter clausa, ad spectaculum demum admittantur curiosi, qui non sine summa admiratione videbunt ex dissectis transversim musculis ne guttam quidem sanguinis effluere, & adhuc magis mirabuntur, si postmodum, dissoluto subtiliter, ut nemo videat, articularum vinculo, videant per eosdem dissectos musculos sanguinem copiose erum-

erumpere. Hæc operatio si cum dexterritate quadam instituatur, prodigiosa videbitur multis licet præter nudam curiositatem nihil in se contineat.

Instituatur adhuc alia ratione incruenta corporis dissectio, quatenus sanguis in vasis existens instar casei coagulatur, quod fit per spiritum acidum beneficio ejusdem instrumenti in venas sensim infusum, uti nobis primo demonstravit industrius *D. Swammerdamius* Medicus Amstelodamensis, sed non potest animal in hac operatione, ut in priori, superstes manere; nam quam cito ac spiritus acidus aliqua quantitate Cordis thalamum intraverit, dictum factum animal expirat. Reliquas dissectiones incruentas, cum non hujus instrumenti beneficio peragantur, in aliam occasionem magis convenientem recitare differemus.

Valet etiam hoc instrumentum ad Ductum Thoracicum rite prosequendum, quia ejus beneficio lacte dulci vel alio liquore ita distendi potest, ut

visum non aufugiat, sed commodam
 dissecantibus præparationem præ-
 beat.

Conducit quoque ad demonstnan-
 dum commercium inter vasa semen
 deferentia & vesiculas seminales, nam
 si in cadaveribus humanis immittatur
 tubulus, in vasa deferentia impulsus li-
 quor statim distendet vesiculas semi-
 nales, & iis impletis per foramina in-
 star fonticuli in urethram erumpet li-
 quor. quod mirum videbitur illis, qui
 dicunt vesiculas per duo peculiaria fo-
 ramina sese exonerare intra Urethram,
 distincta ab iis per quæ materia semi-
 nalis è vasis deferentibus excidit.

Ad excitandam in demortuorum
 cadaveribus penis erectionem hoc in-
 strumentum quoque aptissimum est,
 nam immisso liquore per Arteriam
 Hypogastricam ad corpora nervosa
 excurrentem statim erigitur Penis, id-
 que magis vel minus prout majori vel
 minori vi liquorem in corpora nervosa
 propuleris.

Usurpari quoque potest ad chirurgiam infusoriam peragendam, de quâ solummodo dicemus nos nunquam bonum successum habuisse à medicamentis purgantibus in venas sensim infusis, an vero à medicamentis alterantibus meliorem successum habituri simus, eventus demonstrabit, postquam ea, quæ doctissimus atque ingeniosissimus *D. Major* de ea materia scripsit, examinaverimus.

○ Ad glandularum distinctionem cognoscendam optimum quoque est hoc instrumentum, nam si liquorem in glandularum conglobatarum vasa propellamus servata corporis continuitate parum solummodo intumescent glandulæ. Si vero in Glandularum conglomeratarum ductus liquorem propellamus, statim omnes earum glandulæ à se invicem secedent, præsertim si membrana tenuissima, quâ simul copulantur, hinc inde dissecetur.

Ad excarnanda viscera quid hoc instrumentum possit noscunt ii, qui-

bus modum elegantissimum excarnandi viscera deteximus.

Atque hæc pauca apponere volumus, ut unusquisque nobilem hujus instrumenti usum in Anatomia perspicuens, majori fervore non minus neglectam quam necessariam corporis humani investigationem aggrediatur, nec dubitamus cum tanta adhuc nobis in corpore lateant, quin curiosi hujus instrumenti beneficio reperiant talia, quorum communicatione proximo suo proderunt & nomen immortalitati consecrabunt.

FIGU.


FIGURÆ
EXPLICATIO.

- AA. Siphon est ex ære vel argento confectus ad eam circiter magnitudinem, quam figura repræsentat.
- B. Est pars Siphonis superior, quæ aperitur, ut liquorem propellens extrahi possit.
- C. Est pars Siphonis inferior cujus extremitas I. Tubulis introquetur.
- D. Liquorem propellentis pars superior.
- E. Liquorem propellentis pars inferior lino obvolvenda & à superiori separata.
- F. Est Clavis, cujus pars inferior K. excipit partem tubulorum NNN. ut per eam tubuli firmiter Siphoni affigantur. L. est pars clavis superior quæ aperiri potest, ut in cavitatem clavis fila ænea ad deobstruendos tubulos conserventur.
- G.G.G. Tubuli diversæ magnitudinis

*nis eorumque partes superiores M.
M.M. partem Siphonis I. excipientes.
N. N. N. partes tubulorum clavem
intranantes. O. O. O. partes inferiores
tubulorum exiguo globulo munita,
ut melius in vasis ligari possint.*

*H. Est circulus ex corio confectus qui
Siphonis parti inferiori affigi debet
ut inter tubulum & Siphonem aqua
non erumpat.*

F I N I S.



I N D E X.

TRACTATUS

De Virorum Organis Generationi inservientibus.

C ausa finalis Generationis.	Pag. 1
Quod Natura non magis intendat generatio- nem virorum, quam Fæminarum.	2
Quid sit Mas.	3
Quid Fæmina.	ibid.
Quomodo Mas & Fæmina inter se differant.	ibid.
Organa spermatica virorum que, & quomodo di- viduntur in internas & externas.	4
Quenam sint organa spermatica interna & que ex- terna.	ibid.
Totius tractatus distributio.	ibid.
Testiculorum nomina varia.	5
Numerus Testiculorum naturalis cur binarius.	ibid.
Numerus Testiculorum præternaturalis quomodo va- riat.	6
Quid sint eunuchi & qua ratione castrari so- lent.	ibid.
Castratio ad herniæ curationem non adeo familiaris jam quam ante bracheriorum seu subligaculorum inventionem.	7
Exempla eorum qui absque Testibus nati sunt.	ibid.
Qui cum uno Testiculo nati sunt.	8
Qui cum tribus Testiculis nati sunt.	9
Testi-	

I N D E X.

<i>Testiculorum situs naturalis.</i>	11. 13
<i>Testiculorum situs præternaturalis.</i>	ibid.
<i>Testiculorum situs herniam representantium.</i>	ibid.
<i>Testiculorum magnitudo naturalis.</i>	13
<i>Quomodo Testiculi secundum Peripateticos inter se differunt quoad magnitudinem, quoad temperiem & quoad virtutem.</i>	14
<i>Rejicitur Peripateticorum sententia.</i>	ibid.
<i>Quam ob causam unus Testiculus altero major esse quandoque possit.</i>	15
<i>Testiculi ob magnitudinem herniam simulantis jucundissima historia.</i>	16
<i>Utriusque Testiculi in nimis magnam molem excreſcentis exempla varia.</i>	17
<i>Lapides in Testiculis reperti.</i>	ibid.
<i>Testiculorum figura.</i>	18
<i>Testiculorum involucra varia, & quomodo de iis differunt inter se Anatomici.</i>	19
<i>Involucrorum sive tunicarum divisio in communes & proprias.</i>	ibid.
<i>Communes Testiculorum tunicae quanam dicenda & quot enumeranda.</i>	20
<i>Prima quomodo appellanda.</i>	ibid.
<i>Cur naturaliter hæc tunica pinguedine careat.</i>	21
<i>Secunda quo nomine indigitanda & quis sit ejus usus.</i>	22
<i>Quomodo ex Scroti constitutione de infantum valetudine judicant muliercula.</i>	ibid.
<i>Pro-</i>	

I N D E X.

<i>Propria Testiculorum tunica qua & quot.</i>	23
<i>Prima quomodo appellanda.</i>	ibid.
<i>Cremaſterum principium & ſinis.</i>	ibid.
<i>Tunica vaginalis uſus.</i>	24
<i>Motus Testiculorum in quibusdam eſt voluntarius.</i>	25. 22
<i>Secunda propriarum tunica quomodo nuncupanda & quiſnam ſit ejus uſus.</i>	25
<i>Vena & Arteria Testiculorum cur præparantes appellentur.</i>	27
<i>Origo Ateriarum præparantium.</i>	ibid.
<i>Propagatio Arteriarum præparantium.</i>	28
<i>Quare vaſa præparantia non perforant peritonæum in hominibus ut in brutis.</i>	29
<i>Cauſa ob quam Anatomici male judicarunt arterias præparantes in homine tortuoſo ductu ad Teſticulos excurrere.</i>	31
<i>Arteriarum præparantium diviſio ubi & in quot ramos.</i>	32
<i>Nulla reperitur inter Arterias & venas vera Anaſtomofis in corpore humano.</i>	ibid.
<i>Nullam dari Anaſtomofim inter arteriam & Venam Præparantem experimento ad oculum demonſtratur.</i>	33
<i>Idem ulterius rationibus confirmatur & ipſiſſimis adverſariorum verbis improbat.</i>	34
<i>Origo Venarum præparantium.</i>	ibid.
<i>Venarum Præparantium ramificationes quomodo ſimul</i>	mul

I N D E X.

<i>mul copulantur.</i>	38
<i>Venarum Preparantium valvule.</i>	ibid.
<i>Redarguitur authorum sententia qui Arterias ordinario natura cursu venis majores statuunt.</i>	39
<i>De usu Vasorum Preparantium opiniones variae.</i>	40
<i>Refutatur prima.</i>	42
<i>Improbatur secunda.</i>	ibid.
<i>Calculus apponitur tertia.</i>	45
<i>Nervorum in testibus observatorum origo & progressus describitur.</i>	46
<i>Horum nervorum usus.</i>	47
<i>Vasorum Lymphaticorum origo, progressus & finis.</i>	ibid.
<i>Valvularum Vasorum Lymphaticorum utilitas.</i>	48
<i>Quomodo Vasa Lymphatica clare conspiciuntur.</i>	49
<i>Lympha movetur à circumferentia versus centrum.</i>	50
<i>Vasa semen deferentia quid sint, & quomodo cognoscenda.</i>	51
<i>Variae Authorum opiniones de substantia testium.</i>	52
<i>Improbantur omnium Authorum de testibus opiniones.</i>	55
<i>Vera Testiculorum substantia proponitur.</i>	ibid.
<i>Quibus experimentis vera Testiculorum substantia cognoscitur.</i>	56
<i>Vascula seminaria à nobis primo descripta quomodo è testibus progrediuntur ad epididymides.</i>	57
<i>Cur oculatissimus Highmorus hac Vascula non viderit,</i>	

I N D E X.

<i>rit, & quid sit ejus radix Epididymidis.</i>	58
<i>Usus hujus radice quis, item cur in omnibus non re-</i> <i>periatur.</i>	59
<i>Epididymidis nomen atque situs.</i>	60
<i>Figura.</i>	61
<i>Substantia.</i>	63
<i>Definitio.</i>	64
<i>Epididymidis prima & secunda dissolutio.</i>	65
<i>Epididymidis dissoluti inspectio, item quot ramifica-</i> <i>tionibus testiculum ingreditur, & quanam sit ejus</i> <i>longitudo.</i>	66
<i>In quibus differunt testes ab Epididymidibus.</i>	ibid.
<i>In quibus differunt Epididymides à vasibus semen de-</i> <i>ferentibus.</i>	67
<i>Usus Testiculorum investigatur.</i>	ibid.
<i>Aristotelis sententia de usu Testiculorum.</i>	ibid.
<i>Rationes propter quas Aristoteles testes ad generatio-</i> <i>nem seminis inutiles dixerit.</i>	68
<i>Aristotelis rationes à Galeno impugnantur & à no-</i> <i>bis ulterius improbantur.</i>	69
<i>Qua ratione secundum varios testes seminis genera-</i> <i>tioni inservire judicantur.</i>	70
<i>Probatum semen in testibus confici.</i>	71
<i>Quibus experimentis ad oculum demonstrari potest</i> <i>semen in testibus generari.</i>	72
<i>Dubitarunt hæcenus Authores utrum in testibus se-</i> <i>men ex sanguine vel ex Lympha generetur & qua</i> <i>ratione id fiat.</i>	73
	<i>Semen</i>

I N D E X.

<i>Semen secundum Bilſium generatur ex Lympha.</i>	74
<i>Quid ſit Lympha Bilſii.</i>	ibid.
<i>Cur Bilſii ſententia nobis non arrideat.</i>	76
<i>Probatuſ ſemen ex ſanguine generari.</i>	ibid.
<i>Duo proponuntur modi quibus videtur ſemen ex ſanguine generari poſſe.</i>	77
<i>Cur primus modus rejiciatur.</i>	78
<i>Cur poſtერიorem modum amplectamur.</i>	80
<i>Quomodo ſpiritus animales conjunguntur cum parte ſubtiliore ſanguinis ſemen conſtituente.</i>	ibid.
<i>Seminis elaboratio.</i>	81
<i>Quomodo ſemen craſſeſcat.</i>	82
<i>Quod partes aquoſiores à ſeminali materia ſeparata Lympham teſticulorum conſtituant.</i>	ibid.
<i>Qua ratione ſemen lacteſcat.</i>	83
<i>Obſervatio rara ſanguinis lacteſcentis.</i>	84
<i>Examinatur ſanguis lacteſcens per quorundam liquorum aſſuſionem.</i>	85
<i>Quare Natura tam longum Teſticulorum Epididymidumque ductum eſſormaverit.</i>	86
<i>Qua via Semen à Teſtibus ad Urethram excurrit.</i>	87
<i>Probatuſ Semen à Teſtibus aſſuens in veſiculis ſeminalibus excipi.</i>	88
<i>Vaſa deferentia & veſicula ſeminaria ejuſdem lateris eodem foramine terminantur in urethram.</i>	89
<i>Quare Semen à Teſticulo dextro aſſuens cum ſiniſtri Teſticuli ſemine non permisceatur.</i>	ibid.
<i>Quonam in loco Semen in Urethram erumpit & quid-</i>	

I N D E X.

<i>quidnam ejus fluxum impediatur quo minus continuus sit.</i>	90
<i>Chirurgorum error qui carunculam sive operculum vasorum spermaticorum pro excrescentia causticis consumunt.</i>	91
<i>Demonstratur ad oculum commercium inter vesiculas seminarias & vasa deferentia ejusdem lateris.</i>	ibid.
<i>Vesicularum seminariarum Situs, Substantia, Figura.</i>	92
<i>Longitudo, Latitudo, Crassities, Interna Facies, Usus.</i>	93
<i>In quem finem semen in vesiculis continetur.</i>	94
<i>Cur canes in coitu detineantur.</i>	ibid.
<i>Occurritur objectioni eorum qui vesiculas generationi seminis dicatas volunt.</i>	95
<i>Objectiones varia contra usum vesiculis à nobis assignatum.</i>	97
<i>Respondetur ad primam.</i>	ibid.
<i>Respondetur ad secundam.</i>	99
<i>Respondetur ad tertiam.</i>	ibid.
<i>Solutis difficultatibus concluditur vesiculas non generationi sed receptioni seminis ordinatas esse.</i>	101
<i>Quid sit corpus glandosum.</i>	102
<i>Corporis glandosi magnitudo & substantia.</i>	ibid.
<i>Situs, Figura, Vasa.</i>	103
<i>Vasa corpori Glandoso propria ubinam terminantur & quomodo conspiciuntur.</i>	104

Q

Qua

I N D E X.

<i>Qua ratione corpus Glandosum spongiosum appareat.</i>	105
<i>De Glandosi corporis usu opiniones variae.</i>	106
<i>Rejicitur prima.</i>	ibid.
<i>Rejicitur secunda.</i>	108
<i>Rejicitur tertia.</i>	ibid.
<i>Rejicitur quarta.</i>	109
<i>Quomodo & quamdiu animalia exfectis testibus generare possint.</i>	ibid.
<i>Cui usui inserviat humor in corpore glandoso generatus.</i>	112
<i>Ex quibus materiis constat semen quod in agrum naturæ inseritur.</i>	113
<i>Concluditur unam tantum esse materiam seminis.</i>	ibid.
<i>Improbatur adhuc magis sententia eorum qui triplicem materiam seminalem constituunt.</i>	114
<i>Adferuntur argumenta Whartoni quibus probare conatur triplicem esse materiam seminis.</i>	115
<i>Respondetur ad argumenta Whartoni.</i>	116
<i>Improbatur Galeni sententia de formatione sætus & Harveyi sententia approbatur.</i>	118
<i>Quod corpus Glandosum possit esse sedes Gonorrhœæ, probatur rationibus & observationibus.</i>	119
<i>Probatur similiter quod Testes possint esse sedes Gonorrhœæ.</i>	122
<i>Quid sit semen.</i>	124
<i>Quare omnia animalia excepto gallo contristentur post</i>	post

I N D E X.

<i>post coitum.</i>	ibid.
<i>Quare castrata animalia fœmineum quasi habitum acquirant.</i>	125
<i>Semen masculum corpus fœmineum etiam immutare potest.</i>	ibid.
<i>Utrum semen veneni possit induere naturam.</i>	126
<i>Quare omnes in quibus lithotomia fuit instituta non sint steriles.</i>	127
<i>Nomina varia quibus membrum virile appellari solet.</i>	128
<i>Quâ dignitate membrum virile apud Ægyptios habitum est.</i>	129
<i>Penis situs cur in medio ossium pubis existat.</i>	130
<i>Penis magnitudo.</i>	131
<i>Quid Penem faciat majorem & quomodo ex naso de ejus magnitudine judicant physiognomi.</i>	132
<i>Penis figura, substantia, & partes variæ.</i>	133
<i>Externæ Penis partes, item internæ.</i>	134
<i>Quid sint corpora nervosa & quomodo per septum intermedium à se invicem separantur.</i>	ibid.
<i>Interna corporum nervosorum substantia.</i>	135
<i>Qua ratione interna penis substantia optime examinari potest.</i>	136
<i>Ex Pene flaxido de ejus magnitudine vix judicari potest.</i>	137
<i>Urethræ descriptio.</i>	138
<i>Glandis descriptio.</i>	139
<i>Preputium unde sic dictum, ejus magnitudo aucta,</i>	dimi-

I N D E X.

<i>diminuta.</i>	140
<i>Quid sit frenum.</i>	141
<i>Quare homines tam avide coitum appetunt, & qua sit ejus causa finalis.</i>	ibid.
<i>Quae instrumentalis, & quae Materialis.</i>	142
<i>Quid sint Penis Musculi, quomodo appellantur & unde oriuntur.</i>	143
<i>Usus horum muscutorum ab omnibus Anatomicis af- signatus cur rejiciatur.</i>	144
<i>De vasibus Penis.</i>	147
<i>Memorabilis haemorrhagia per Penem.</i>	148
<i>In quem finem conspirant Penis partes.</i>	153
<i>Quot vasorum genera ad Penis erectionem concurrunt & quomodo.</i>	155
<i>Usus Muscutorum Penis à nemine hactenus assigna- tus.</i>	158
<i>Quot & quibus modis Penis erectioni succurri po- test.</i>	159

T R A C T A T U S
D E C L Y S T E R I B U S.

R ationes propter quas desudavimus ad novum in- strumentum pro Clysterum injectione exco- gitandum.	179
<i>Describuntur aliorum instrumentorum incommoda.</i>	180
<i>Novi instrumenti nostri commoditas.</i>	181
	Occur-

I N D E X.

<i>Occurritur objectionibus Pharmacopæorum contra hujus instrumenti divulgationem.</i>	ibid.
<i>Totius Tractatus de Clysteribus distributio.</i>	182
<i>Clysteris Etymologia, Definitio, & eorum primus inventor.</i>	183
<i>Probatur apud priscos hoc medicamenti genus familiarè fuisse.</i>	184
<i>Ad alvinas fæces solvendas & educendas quanam sufficiant.</i>	185
<i>Pauperibus quomodo exiguis sumptibus hoc medicamenti genere succurri possit.</i>	186
<i>Clysteres quomodo pro ratione medicamentorum ex quibus componuntur diversa nomina sortiuntur.</i>	ibid.
<i>Clysteres Emollientes qui & quomodo conficiendi.</i>	ib.
<i>Purgantes.</i>	187
<i>Adstringentes, Dolorem sedantes.</i>	188
<i>Detergentes, Discutientes.</i>	189
<i>Consolidantes.</i>	190
<i>Quomodo Clysteres singulis partibus appropriari creduntur.</i>	ibid.
<i>An dentur Clysteres nutrientes.</i>	191
<i>Quousque Clysteres ascendere intestina possint.</i>	192
<i>Quibus modis homines refocillantur.</i>	194
<i>Clysterum per vomitum ejectorum observationes variæ.</i>	195
<i>Suppositoriorum per vomitum ejectio.</i>	196
<i>Clysteris quantitas quomodo subinde mutanda.</i>	197
Q 3	Clyste-

I N D E X.

<i>Clysteres quomodo injiciendi & quomodo detinendi.</i>	198
<i>Tempus injiciendi Clysteres.</i>	199
<i>Quamdiu Clysteres detinendi sunt.</i>	200
<i>Quodnam in latus decumbendum sit Clysterem excipientibus.</i>	ibid.
<i>Usus Clysteris in quib. morbis maxime conveniat.</i>	203
<i>Quibus Clysteribus male oleum additur.</i>	204
<i>Quare Cassia è Clysteribus sit omittenda.</i>	205
<i>Quare recens decoctum sit prescribendum.</i>	ibid.
<i>Incommoda quæ ex decoctis rancidis oriuntur.</i>	206
<i>Qua ratione Clysteres catharticoꝝ medicamentorum usum feliciorẽ reddunt.</i>	ibid.
<i>Demonstrantur errores egrotantium qui summe debiles Clysteris usum recusant.</i>	208
<i>Instrumentum novum cur confecerimus & quæ sit ejus utilitas.</i>	209
<i>Chirurgia Transfusoria quomodo à nobis instituta, & quod instrumento in titulo sub littera A. depicto commodissime institui possit.</i>	ibid.
<i>Tabula figuram instrumenti nostri representantis explicatio.</i>	211
<i>Quomodo ii, qui hujus instrumenti beneficio sibi met ipsis Clysterem injicere volunt, debent procedere.</i>	212
<i>Quâ ratione ab aliis fieri possit Clysteris injectio absque quod ægri se denudare vel corporis situm mutare teneantur.</i>	213
	TRAC-

I N D E X.

TRACTATUS

De usu Siphonis in Anatomia.

S iphonem divulgandi ratio.	217
Siphonis in Anatomia utilitas.	218
Quibus liquoribus coloratis ad demonstrationes Anatomicas peragendas optime utimur & quomodo illi sint consiciendi.	219
Arteriarum Carotidum ramificationes quomodo absque difficultate cognoscuntur.	220
Qua in re decepti fuerunt qui cerebro Arterias denegarunt.	221
Arteria Cœliacæ investigatio.	ibid.
Arteria Mesentericæ demonstratio.	222
Siphonis utilitas ad circulationem per singulas corporis partes demonstrandam.	ibid.
Quid sit crusta intestinorum interna & quomodo sit appellanda.	224
Demonstratur quomodo crusta illa abrasa possit fieri dysenteria.	ibid.
Color omnis Animalium est à sanguine.	226
Ostenditur quod rubedo sanguinis non proveniat à rubedine Hepatis.	227
Deteguntur aliquot modi quibus incruenta dissectio institui potest.	228
Quomodo ductus thoracicus hujus Siphonis beneficio omni tempore clare demonstrari potest.	229
Quo-	

I N D E X.

- Quomodo communicatio inter vasa deferentia & Vesiculas seminarias cognoscenda.* 230
- Quomodo penis erectio in cadaveribus eodem instrumento demonstranda.* ibid.
- Quomodo hoc instrumento Glandularum divisio cognoscenda.* 231
- Hujus instrumenti utilitas in chirurgia infusoria, quæ ex parte rejicitur.* ibid.
- Ad excarnanda viscera quid facit hoc instrumentum.* ibid.

F I N I S.



Hic sequuntur Tabulæ de Virorum Organis
Generationsi inservientibus, quarum
explicatio reperietur Fol.161.

10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

of-

21.

eg-

hac

Re-

101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200

101

102

103

104

105

106

107

108

109

110

111

112

113

114

115

116

117

118

119

120

121

122

123

124

1637

30173

